SABINIADOS
LIBRI QVATVOR.

Horatij Maſſarij Caſperienſis. V. I. D.

Cum eiuſdem Auctoris argumentis.

Ad Illuſtriſ.& Reuerendiſſ. Principem D.

ODOARDVM FARNESIVM
S.R.E. CARD. AMPLISSIMVM.



ROMAE, Anno Iubilæi. MDC.
Apud Dominicum Liliottum. *Superiorum Permiſſu.*

EX commiſsione & mandato Reuerendiſs. P. D
mei Magiſtri Sacri Palatij. Ego Nicolaus Ca
ſianus Aquilañ. vidi & perlegi totum hoc opus Sa
biniados, quatuor libris comprehenſum Exceller
tis D. Horatij Maſſarij Caſperienſis V. I. D. ne
aliquid reperi, quod fidei, aut bonis moribus repu
gnet, immò dignum opus, quod imprimatur. Et i
fidem me ſubſcripſi hac die xiij. Iulij. M. D C.

Imprimatur.

P. Epiſcopus Iſernieñ. Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Paulus de Francis, ſocius Reuerendiſs. Mag. Sa
cri Palatij.

Ad Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Principem D.

ODOARDVM FARNESIVM

S. R. E. CARD. AMPLISSIMVM.

Eiuſdem Auctoris Epigrammata.

Aſpice tam celſo mihi quàm benè prodere in auras
Hunc tenuem partum mens, animuſq. fuit.
Scilicet hic eſt, qui mores imitatus auitos
Effert ſubiecta, & corda ſuperba domat.
Subiectum prodibit opus num hoc æquius vlli?
Quàm tibi, virtutum qui omnia odore trahis?

Ad Librum.

I Liber, & celſas magni pete Principis ædes.
Quid te? quid tandem vertere cogit iter?
Vt reor hoc vnum forſan te vertere coget,
Quod nil des redolens nil quoq. dulce feras.
Pone metum, viden' vt ſpirent ſacra Lilia odorem:
Hæc te quàm benè olent, tam benè olere dabunt.

Illuſtriſſ. & Reuerend. Principi D.

ODOARDO FARNESIO

S.R.E. CARD. AMPLISSIMO.

SVAPTE natura (Cardinalis ampliſſime) omnibus hominibus comparatum eſſe debet, vt omni conatu ſe bonarum litterarum aliquo excolant cultu, ne ignauia, ac torpore oppreſſi belluarum more vitam ducant, quæ tantum ea, quæ pedibus teruntur, & quæ adſunt intuentur, nihil altum ſuſpiciunt, nihil longinquum cogitatione percurrunt; facile enim apparet nihil in terrarum orbe, & breui vitæ curriculo eſſe, quod nos beatorum ſpirituum mentibus ſimiliores reddat, quàm virtutis, ac doctrinæ cultus. Quare quid ſcriberem cogitanti mihi ſe ſe veteris Sabinæ regionis imago ante oculos obtulit, in qua plurimi olim heroes non contemnenda virtute floruere, qui cunctis terra-

rum regionibus, Romanæ præſertim vrbi or namento fuere. Itaque iure optimo eloquentiæ parens Tullius populi Romani robur Sabinos eſſe dixit, nulla tamen priſcæ illorum dignitatis ratio habetur, ſed etiam multi ſunt, qui dum Romanos eſſe magnos oſtendere volunt; de Sabinorum fama quã acerrime poſſunt detrahunt, atque illorum facta in humili loco ponunt. At ego non intelligo quo nam pacto magni, ac fortes videantur ij, qui cum abiectis, ac tenuibus hominibus pugnare ſunt ſoliti. Itaque cum Romani, quorum nomen in terris eſt magnum, & admirabile, tam ſæpe cum Sabinis prælio dimicauerint, iniquum ſane videtur hos contemni, & paruipendi. Quamobrem cum ab ineunte ætate mihi animus ad carmina paulatim accendi cœperit, exiguaque flamma in pectore creſcere; licet legalem profitear ſcientiam, & in perſcrutandis legibus, defendendiſque cauſis fuerim plerumque detentus, ex quibus tamen cum aliquid

tem-

temporis nonnumquam ſubtraxerim, ad manſuetiores Muſas identidem diuerti, & carmen de Sabinorum rebus præclare geſtis condidi, quòd Illuſtriſsimæ Amplitudini tuæ dicandum cenſui: cum mihi ipſi neſcio an temere perſuaſerim hoc meum opus ſi non iucundum, ſaltem non ingratum fore, cum Romani ex quibus es oriundus non ſolum a Troianis, verùm etiam a Sabinis originem duxerint; & imperterritum illum, ac generoſum animum tuum veterum Romanorum heroum, ac præliorum recordatione maxime exhilarari intelligo, quod tibi præſertim euenire puto, quia tunc tuæ fortaſſe menti ſubit genitoris imago, vt inquit poeta. Hunc igitur Ampliſsime Princeps tenuem ingenij mei partum, qui eſt meæ in te obſeruantiæ, ac fidei argumentum tibi voti inſtar do, dono, dico: quem quando ad tuas ſublimes ædes veniendum curabam, & ad lucem, & ad conſpectum tanti Principis extra meos domeſti-

tos parietes prodeundum præſumebam,
melius formare, atque expolire debuiſſem,
ſed id, vt decebat facere non eſt mihi con-
ceſſum propter multa infortunia, quæ cum
me vexarent ab his ſtudijs retardare cona-
bantur, & ſerenum animum, quem illa ſo-
lent expetere denſis, & caliginoſis nubibus
obſidebant: non ideò puto me ab aliquo eſ-
ſe irridendum ſi qua in re me erraſſe vide-
rit, aut niſi in minimo quolibet verbo per-
fecte pro eo, ac deberem oculatus fuerim,
cum ſi æqua lance perpendatur, facile ap-
pareat alios vituperare ob errores perpatra-
tos, nihil aliud eſſe quàm ſibi nimis duram,
ac ſeueram legem ſtatuere: cum tantum-
modò ille non erret, qui nihil operatur, im-
mo grauiori ſe obſtringit errore, quàm qui
operando errat. Illud tamen vnum non
prætermittã me omniũ aliorum detractio-
nes paruifacere poſſe, dũmodò tibi vni am-
pliſſime Princeps gratum, & acceptum hoc
meum opus eſſe cognoſcam, & Eſchinem
illum

illum philoſophum ſequar, qui inter legendum ab auditoribus relictus Platone tantùm remanente, dixit ipſum vnum ſibi ſufficere, qui plus eſſet ipſe ſolus, quàm vniuerſa academia hoc idem de te meritò dicam, qui perſpicaci, ac pene diuino ingenio cuncta ad benignitatis trutinam expendis, & æqui bonique conſulis, qui florentem iſtam ætatem in amplectenda, colendaq. virtute exerces, atque in parandis bonis, atque ingenuis artibus, & in patrijs, & auitis laudibus, atq. operibus amplificandis; qui patrē magnanimitate imitaris, & patruos religione, & pietate, & quemadmodum illis fuit honorificum Sanctiſſimo nomini I E S V. eximium templum erigere, nunc tibi illud idem pulcherrimo ædificio augere, atque exornare eſt honorificentiſſimum; Ieſuitarum vt religionem, ac ſocietatem quaſi partam à tuis anteceſſoribus conſerues, ac protegas, & ſemper indies magis, magiſque noua, & ardua facinora moliris te, tuiſque digna. Me

equi-

equidem ad tuas virtutes atque animi dotes celebrandas cuiuſdam flaminis aura impelli ſentio, ſed tua me modeſtia retardat. Ideo Thimantis illius pictoris exemplo vtar, qui cum Agamennonis mœrorem in immolationis miſerando ſpectaculo Iphigeniæ filiæ pennicillo exprimere non confideret os velo obtexit, ſic etiam mihi, cui de tuis immenſis virtutibus ſermone aſſequi non conceditur ſilentij velo tutius eſſe tegenda cenſeo, & cum hoc opus tenuiſsimum tua celſitudine dignum minime videatur imitari non erubeſcam ruſticos, qui auro, argento, ac thure carentes: illa Deo vouere non poſſunt, ſed horum vice numina agreſti fruge colere, ac ſupplicare, nec non florum corollas, viridantesque herbas aris conſpergere ſolent. Te Deus immortalis diutiſsime ſeruet. Vale.

Amplitudinis tuæ

Humillimus ſeruus

Horatius Maſſarius.

IN

IN PRIMVM SABINIADOS LIBRVM ARGVMENTVM.

ORiginem habuere Sabini a Lacedemonijs, nam conſilio fluminis Eurotæ per ſomniũ apparentis conſuluere oraculum Apollinis, cui litatis ſacris reſponſum eſt illis ab ipſo, vt ſe in Italiam conferrent Sabo ductore. Itaque ob ſeueritatem legum Lycurgi diſceſſere nauim aſcendentes apud inſulam incognitam in mare Aegeo, vbi magna cum tempeſtate nauigantes votum perſoluerunt Neptuno, qui precibus, & votis illorum motus malaciam conceßit; in Italiam tandem vbi ventum eſt ad locum vbi Ancona condita eſt, portum dederet: qui cum ad Vmbros appropinquarent Ianus rex Italiæ dubitans ne ſibi regnum ab illis vſurparetur, quendam Augurem conſuluit, qui auguratis Sabinæ regionis oppidis futura omnia prædixit, & Sabus vt de ſe certiores faceret quoſdam ſuos amicos in Lacedemonia relictos illis epiſtolam ſcripſit, in qua regionem vbi ſedes locauit laudat.

HORATII MASSARII
V. I. D.
SABINIADOS
LIBER PRIMVS.

ARma ducis Tatij, qui fixit in arce Quiritum
Nobile vexillum, monimentaq. priſca Sabinæ
Gentis, quæ à ſacro ducit pia nomina cultu
Et reſonantis Hymellæ haurit, Fabariſq. fluenta
Quamuis demiſſo liceat depromere cantu.
Proſpera vela mihi, & ventos concede ſecundos,
Atque meo ſapiens allabere Muſa labori:
Non quæ Parnaſſum, ſed quæ colis atria cœli
Adſis Muſa precor, Tuq. adſis inclyte Princeps,
Flos magnorum ODOARDE heroum, & gloria fulgens
Italiæ, Latijq. decus pars magna Quiritum.
Dum tenui remo ampla innare per æquora tento:
Noſtris affer opem, velis, hiſq. annue cœptis
Si tibi (vt ipſe reor) gratum ſpectare ſit vnde
Priſtina Romanæ veniat telluris origo.
Cum ſit dulcis amor patriæ, dulciſq. ſuorum
Mnemoſyne; es ſiquidem ſoboles tu vera Quiritum,
Qui tantum meritò ſibi ciuem aſsiſtere iactant,
Et lætantur habere: graui nam cretus ab illo
Es duce, quo non certè alius belli aptius artes
Obtinuit: cuius virtuti electa propago
Romulidum ſe ſe multum debere fatetur.

Sæpius ingentes eſſet perpeſſa ruinas,
Ni tanti ductoris opem vis celſa tuliſſet:
Cuius cum laudes,præclaraq. facta ſequaris
Gratius hoc tanto Princeps tibi credo futurum
Forſan opus,tam gratæ Vrbis primordia pandens.
Si Romana placet monimenta haurire benignis
Auribus,hæc etiam non dedignabere facta.
Nam quo ſe Roma extollit ſpectare licebit
A priſcis cepiſſe altum decus omne Sabinis.
Inclyta Troyugenum haud lætatur origine tantùm
Roma,ſed hac deducta poteſt ſe extollere gente.
Aequum erit vt noſtros foueas pater inclyte cantus,
Concedáſq. omni frontem pietate ſerenam
Verſibus, vt poſsim feliciter ire per vndas,
Tantaq. non leuium monimenta reuoluere rerum.
Spartanam armigeris decoratam ciuibus vrbem,
Quæ cunctas Danaum terras excelluit arte,
Et laude armorum: primis frænabat ab annis
Non ſinè terrifica populorum lege Lycurgus,
Cui donec telluris erat ſuprema poteſtas.
Nonnulli,quorum pectus ſapientia munit:
Cum rectè inſpicerent aliquos exiſtere mores
Diſcordes,atque humana à pietate remotos:
Ex huius cupiunt vrbis decedere tectis.
Nam ſic omnis erat ſæuis offenſa iuuentus
Verberibus, plagiſq. feris: vt viſcera ſæpe
Ingentem vomerent omni de parte cruorem.
Hos ſuperaduenieńs tandem lex dura Lycurgi;
Quæ pueros omnes venientes lucis in auras,
Et miſeros partus aliquò ſinè corporis artu,
Aut quos ægra parens fractis compagibus aluo.

Edidit

Edidit, ac genuit ſigno natura ſiniſtro:
Ante ſacras aras teneri de more iuuenci
Fulgenti cultro iniuſtè mactare iubebat.
Cumq. alias igitur leges, & iura Lycurgus
Sanxerit: hi tolerare magis non poſſe videbant.
Cum tandem factis turbati immanibus irent
Eurotæ circùm ſpumantes fluminis vndas:
Exercentur vbi mores, ritusq. ferini.
Hosq. ibi cum veſper gelidis præuenerit auris,
Vndiq. & obſcuro interea celaret amictu
Eumenidum mater cœlum, terraſq. patentes:
Ad gratum alliciens animalia cuncta ſoporem.
Non procul a ripa in quadam ſtatione paluſtri
Sydereæ deprehenſi atra caligine noctis
Siſtere coguntur, lentumq. ibi carpere ſomnum.
Sed Sabus ante alios dubio ſub pectore curas
Vix lenire poteſt iubaris poſt ſyderis ortum,
Cui viſum Eurotæ flauum ſe attollere flumen,
Frondiferaſq. inter ſalices, tenueſq. myricas.
Effigiem ſumpſiſſe ſenis (mirabile dictu)
Atque ſuas candore comas excellere marmor,
Siue niuem nuper lapſam de nube per Alpes,
Et caput inſtar erat regis, cui more fluebat
Vndarum fulgens diuino numine barba:
Sacratæ ramis redimitus tempora lauri,
Qui de mente Sabi curam, mœſtumq. dolorem
Demens, ſic imo depromit pectore vocem:
O Sabe, quem ſuperi ad ſublimia facta reſeruant,
Quando mente agitas alias inquirere terras.
Incipe (nam debes) diuum implorare ſupremum,
Auxilium, ſupplexq. ſacri ante altaria Phœbi

Electa ceruice pecus mactare memento,
Illius & nitidis effulgeat ignibus ara.
Vt tibi demonſtret tutum per deuia callem.
Sic homines ſacri cultus exempla ſequentur,
Teq. ducem magnum nulla vnquã in parte relinquẽt:
Iſtud ego Eurotas ſuperis gratiſsimus amnis,
Flumine quem pleno proſpectas lambere ripas
Te moneo, ac repleo ſanctis hortatibus aures,
Hæc vbi dicta dedit, paſsim vaneſcere in vndas
Incipit huius imago ſenis: cum murmure magno
Suſcipiens repetit curſumq. viamq. priorem.
Dum noua lux autem roſeo ſurrexit ab ortu,
Atque ex orbe aurora diremit noctis amictum.
Tunc Sabus, atque alij præſtanti corpore patres
Haud mora conſuluere ſacrati oracula Phœbi.
Quid faciant? regem ne aliũ? & noua regna requirãt?
An vitam tanto legum ſub pondere ducant?
Tunc primum æripedes tauros de more litantes,
Et quas elegit pecudes grege paſtor ab omni,
Ponenteſq. faces, cultiſq. altaribus ignes
Thuricremos: laude inſigni pæana canebant,
Altaq. ſupplicibus palmis ſimulacra rogabant,
Nec non voce graui Sabus inter ſacra litanda
(Inquit) Phœbe pater, cui ſunt mortalia curæ:
Dum radijs orbem, & fæcundo lumine ditas.
Cernis quos habeat tellus hæc Spartica mores:
Humanæ prorſus pietatis amore carentes,
Noſtri cum pueri primæuo in flore iuuentæ
Verbera dura pati ſacras cogantur ad aras.
Vidi ego non paucos tenero cum ſanguine vitam
Creſcentem largi ſub luce relinquere cœli:

Quos

Quos deinde haud ſolum matres, miteſque ſorores
Poſt longum tempus fuſis fleuere capillis,
Aſper at Eurotas etiam,& Calydonius amnis;
Flumina qui retro verterunt iſta videntes,
Turparuntq. ſuas illorum ſanguine lymphas,
Et gemuere diu in turpata Naiades vnda.
Non ſecus inuiſos ſæuire videntur in hoſtes;
Poſtea conſtantes crudo hoc ritu eſſe feruntur.
O gens tam varijs oppreſſa erroribus omnis
Humanæ pietatis inops. hæc ſæua Lycurgi
Reſtabant tandem iura ad ſolamina matrum;
Quæ natos aliqua membrorum parte carentes
Semper mactari ante aras,ouis inſtar agreſtis,
Mandant,quid leges alias? quas ipſe relinquo.
Nunc ideò languent angore, metuq. parentes.
Filius omnis enim genitoribus eſſe videtur
Formoſus, quamuis foret atræ Gorgonis inſtar;
Atque paternus amor defectum cernere neſcit.
Annue quid nobis tali ſub rege gerendum?
Hos horremus enim mores, legeſq. ſeueras,
Quas nuper ſanxit,ſtatuitq. per oppida,& vrbes.
Talibus ergò Sabum precibus, dictiſq. canentem
Aduertens Phœbus,ſermone oracula tali
Reddidit: ite, nouaſq. repente requirite terras,
Linquite duritiem legum, & noua condite vobis
Oppida,turritaſq. vrbes regione ſub illa,
Europæ ante omnes, quæ oleis vberrima fertur.
Veſtinos noſtræ proſpectans lucis ab ortu,
Atque plaga ex Boreali Vmbros,Auſtroq. Latinos,
Verſus & occaſum flaui ſunt Tybridis vndæ:
Ex qua parte ſolum gentis proſpectat Hetruſcæ.

His

His igitur Phæbi reſponſis inclyta proles
Mota: rates quærit ſubitò, ventoſq. ſecundos
Expectat, placidumq. ſalum, tempusq. ſerenum.
Accipit hanc primùm gentem ſub rupibus altis
Inſula nullo vnquam manifeſto nomine nota.
Bis quinis tandem Aegeum mare puppibus intrat,
Atque ita laxantur curuo de littore funes:
Carbaſa cuncta potens extendit flatibus Auſter.
Dum verò medium tenuerunt æquoris alti
Puppes, atque procul cunctis telluribus ibant.
Ecce repentè inopini adſunt cum grandine nimbi:
Quales Deucalion quondam cum coniuge Pirra
Vidit ad humani generis veniſſe ruinam.
Omnia concutiunt: lapidumq. ex more videntur
Ictus, quos vibrare ſolet venator in altis
Siluis, dum latè circum genus omne volantum
Pellit ab arbuſtis, atque in ſua retia cogit.
Tunc mare ceruleum ſpumoſis voluitur vndis,
Cernunturq. omni rutilare tonitrua cælo:
Vndiq. terriſonis ſcintillans ignibus æther:
Turbine ventorum ad nubes extollitur vnda.
Tendere donec iter naues conantur ad Auſtrum,
Frigidus inſultu Boreas ſuperincidit acri,
Qui latera offendens proras cum puppibus vncis
Mutat, & iraſcens alter parat obuius ire.
Huc illuc naues volitant, quò vertere proras,
Quò puppes ſit opus deflectere nauita neſcit.
Has flatu horriſono Boreas ad priſtina mittit,
Qui licet accipiat robur, vireſq. reſumat,
Attamen haud illi cedit Neptunius Auſter.
Hinc ſubitò incipiunt crudelia ſurgere bella,

Inter quæ languent turbato ſidere naues.
In tanto Euripilus fluctu, pelagiq. tumultu
Mæſtus ait, vocem ad minitantia ſidera tollens:
Ah melius fuerat patrijs occumbere campis,
Degere ſeu vitam dura ſub lege Licurgi,
Quàm noſtra immani committere corpora ponto.
Quod ſcelus à nobis admiſſum eſt, atque nocenti
Polluimus miſeri noſtram quo crimine vitam;
Vt ſic extorres patria regione per vndas
Vltrò veniremus crudelis ad oſtia mortis?
Ac Fidius, qui ibi erat puer alto pectore, molles
Quamuis veſtiret nondum lanugine malas,
Monſtrabat tamen ipſe animum curamq. ſenilem.
Talia dicta dabat: mens æuo torpet inerti
Illius, qui nulla ſubire pericula tentat:
Sed caput obiectans illis, lucratur, vt optat.
Inſita vis animi generoſi haud ergo timere
Hæc diſcrimina, ſed ſuperos ſperare ſecundos
Debet: nam rapidi tandem maris vnda quieſcet.
Oenotrus ex ſocijs quamuis æqualibus vnus,
Tam capiti horriſona impendere pericula cernens,
Inſultare Sabum cœpit, dictiſq. miniſq.
Atque ipſum obiurgans rabida ira, muſſat, & ore,
Qui patriam ſuſpirans extendebat ad aſtra
Palmas, auxilium compellans vocibus altis.
Sed Sabus haud vllo turbatur murmure ductor;
Quin etiam eſse iubet geneoſo has pectore gentes.
Credite, ait, ſunt hæc habitura incommoda finem:
Nec me deluſum fallunt oracula Phœbi.
Credite, quæſo Viri, precibus placabimus iram
Neptuni; vt noſtras tranquilla per æquora proras

Ducat,& optatum donet conſcendere portum.
Nunc igitur Neptuno ingentia vota feramus,
Qui potis eſt ſubitò vaſtos compeſcere fluctus,
Tollere & inſani funeſta pericula ponti.
His reuocat dictis animos,ſtatuitq. repentè
Puppibus in celſis roſeas accendere flammas,
In quibus æquoreo Regi venerabilis heros
Egregium mactauit acuta cuſpide ceruum,
Qui ſolamen erat pueris, teneriſq. puellis:
Hunc Spartana cibo geniali nympha fouebat,
Nec non materno ſemper dilexit amore;
Cuius vbi videre puellæ lumina cædem,
Languebat mœrore,ſui vt de funere nati.
Tales ore preces inter pia ſacra Cupencus
Tunc dabat: auſpicio diuum cum longa ſecemus
Æquora, te placidum ergò feras Neptune precamur,
Qui rapido immanes paſcis ſub vortice phocas
Mitis,quæſo,adſis,dextramq. natantibus affer,
Da quoque fumantes rabie diuertere ventos:
Muneris huius erit nũquam immemor iſta propago.
Ipſe ſed æquoreus tandem rex vortice ab imo
Vota,preceſq. Sabinorum cum murmure ſenſit,
Præbuit atque ſuis omnes aſſenſibus vndas.
Talia dehinc fatur gentes miſeratus amicas:
Concedam vobis ſine nube tot eſſe diebus
Aëra quouſque graues naſcentur in æquore fœtus
Halcyonum, ac ſtabunt ſcopulorum in pumice nidi.
Hæc vbi pauca dedit,ventos,vndaſq. ſerenat.
Hinc factum eſſe ferunt, quoties vt tale volucrum
Nidificet pariatq. genus, maris vnda quieſcat.
Vndiq. tunc Phœbus radios per littora fundens,

Dulcem lætitiam peregrinis gentibus affert:
Non ſecus eſſe ſolent labyrinthi reddita in antro
Lumina, ſiue faces veſtigia cæca regentes.
Sic mare tranquillum Latias innatur ad oras;
Poſt multas igitur radianti lampade luces:
Italia aſpicitur viridi frondere colore:
En illam digito, nutuq. oſtendere gaudent:
Vocibus Italiam ſaluere en aduena proles
Auditur, lætoſq. ſonos ad ſydera ferre:
Quales ferre ſolet valido in certamine turma,
Quæ rigidos dudum belli perpeſſa ſit æſtus,
Necnon per pugnantum ictus, Martiſq. tumultus
Tranſierit, caræ perq. atra pericula vitæ,
Si modò victricem palmam Mars annuat olli.
Exclamat, Martemq. ſonanti carmine tollit.
Lætitia in tanta veteres è mente labores
Diſijcit, & quæcumque tulit contraria delet.
Ille etenim primus Latij, ac telluris amœnæ
Intuitus magno expleuit ſolamine mentes.
Dum verò ſubeunt portum, quod prompſerit æther
Lætitiæ ſignum. referas tu portus amœne
Cui genus hoc voluit plenas aduertere proras
Condita vbi eſt aliquo poſt tempore nobilis Ancon
Tu quoque magna parens frugum Berecinthia pãdas
Hæc tibi tam clarum quandò gens auxit honorem,
Tu ſimul heroum hoſpitium Italia inclyta dicas:
Quæ tunc præbueras venienti gaudia genti.
Nam prius haud certè factis illuſtribus vllis
Fulgebas, at eras deſertis ſemper in antris.
Et pauci tibi erant inculta per oppida ciues:
Ac ſpacioſa bonis cultoribus arua carebant,

Atque homines vita ante rudes de more ferarum
Per montes,ſiluaſq. nigras,perq. antra vagari
Semper erant ſoliti: pelle vrſi membra tegentes.
Aſt vbi gens iſta Italiæ peruenit in oras,
Omnia feſtiuo reſonarunt antra tumultu,
Et quæ ſunt circa Latium inſonuere cauernæ.
Tunc audita cauis iterare in vallibus Echo
Voces,atque nouas gentes ſaluere per antra,
Et cuncta Italiæ mutato ſtagna liquore,
Ac liquidi fontes candenti lacte fluebant,
Inſolitoq. auium ritu caua ſydera cantus
Mulcebat, plauſuq. vago nemus omne replebat.
Vmbrorum tandem venere vbi florida in arua:
Nomina mutantes veteri cum ſede, locoq.
Tunc omnes dici ſubitò voluere Sabini
Ex illo,qui inter reliquos digniſsimus omnes
Extitit inſignis pietate, & fronte verendus,
Quem pro relligione Sabum dixere Pelaſgi:
Candenti facie, & fluitanti crine micantem,
Qui decus immēſum,& monimenta æterna meretur.
Nam pia iura ferens generoſo nomine primus
Protulit hos populos clara virtute Sabinos:
Ponere & hac patrios voluit regione penates,
Tectaq. mole erecta graui, quò conuocat omnes,
Quas poterat gentes aliena ex parte petitas.
Spargitur interea Vmbrorū alta per oppida rumor,
Aduenisſe viros longinqua ex parte perfectos,
Aduentus quorum Ianum, qui ſceptra tenebat
Italiæ,incultaſq. regebat numine terras
Tæduit, ancipitiq. animo perterritus hæſit,
Ne noua gens rapidis ſceptrum illi ſumeret armis,

Et veritus, ne Italis ſuccederet aduena regnis;
Pluribus idcircò mandat cuſtodibus arces,
Præſidijſq. nouis muniri, atque aggere tecta:
Inſtauratq. recenti propugnacula muro:
Lamponemq. ſimul, qui agitabat montibus æuum,
Vt portenta poli, atque errantia noſceret aſtra,
Et volucrũ audiret linguas: quẽ ita Phœbus amauit,
Sæpe ſuis ſacrum quòd honorem imponeret aris,
Vt cunctos illi dederit prænoſcere caſus.
Imperat extemplò regalia tecta ſubire,
Affariq. illum tali rex incipit ore:
Hei mihi quàm crucior, referunt ſi vera parentes
De Titio, cuius iecur, & cor roſtra volucris
Dilaniant, ſemperq. patet laniata renaſci
Membra: ego ſum Titius factus nunc forſitan alter.
Exteri enim populi aduentus mordacibus implet
Cor noſtrum curis, diuerſo ac turbine vexat.
Si requiem ſomni quæro: me turbida terrent
Somnia, ſi virides ſpatiari quæro per hortos,
Se quicunq. meis patulis volucrum auribus offert
Cantus: nil certe, præter ferale, videtur
Imperio, regnoq. meo vndiq. velle minari,
Et pauidam mentem atra timere pericula cogit.
Ah vereor, ne quid veri ſigna iſta miniſtrent.
Te procul euentura videre eſt fama per orbem,
Noſſeq. ſemper, auis quid fati prouida cantet.
Ergò ſi Lampon venturi præſcia ſæcli
Mens eſt, cuncta potes nobis aperire futura,
Quæ callere dedit raro tibi munere Phœbus.
Dic modò quid cælo fixũ eſt? quidve aſtra reuoluãt,
Quidve ſuperna poli portendant ſigna malorum.

Cur gentes venere externa ſede profectæ?
Num regnum vaſtare meum? num perdere ferro?
Num ritus inferre nouos, noua & orgia templis?
Et noſtra inſolito confundere numina cultu?
Venturos ideò cuperem præſcire nepotes,
Qui ſimul externo hoc ſurgent de ſanguine nati.
Rex vbi dicta dedit: Phœbeius talia Lampon
Tunc illi reſponſa tulit: rex optime, cuius
Imperio regitur terrarum pendulus orbis.
Quantum optas, & quæris, Apolline ſpero monente
Pandere me ſciturum, prima vt luce reuertar.
Interea concede mihi, rex inclyte, tempus,
Vt de more pecus cædam, atque arcana reſoluam.
Qui ſimulac permiſſus abire, domumq. reuerti.
Suſcepto lituo, necnon in qualibet orbis
Terrarum parte expreſsis ſignisq. notiſq.
Voce ciet Phœbum, & redimitus fronde bidentem
Mactat, quo facto innumeras garrire volucres
Audit ibi, & pecudis fibras ſcrutatur, & exta;
Et cuiuſdam exquirit deinde volumina libri:
Ac tali ſecreta modo præſagia noſcit;
Et velut in ſpeculo proſpectat in aere cuncta.
Luce noua celebris Iani ad vaga tecta reuerſus
Lampon ait: ſalue rex magne, & fronte ſerena
Sis precor, & quæ iuſsiſti me expromere, veris
Si modò mentem, animumq. meum repleuit Apollo,
Pandam, quod video externa hac de gente futurum:
Quod latet humano generi, ipſe vt cerno per atra
Nubila, quandò audire libet, tibi cuncta patebunt:
Quæ deinde hi populi condent celſa oppida, & vrbes,
Quaſue ſimul terras ampla ditione tenebunt

Plurima poſt luſtra, & multos poſt temporis annos.
In primis ne igitur dubites de ſtemmate quidquam.
Nam gens mitis erit, Latijq. augebit honores:
Nunc vbi canna paluſtris ineſt,& inutilis herba,
Atque vbi procumbunt armenta: palatia ſurgent,
Atque frequens coget venerandos curia patres,
Et quas nunc ſæpes, dumoſq. & denſa ferarum
Luſtra vides,viliq. mapalia vimine texta.
O Rex inclyte tempus erit,quo in mœnia celſa,
Deſertoſq. locos ſpectabis in oppida,& vrbes,
Inq. triumphales generoſo ſanguine terras
Verti,moxq. ſimul meliore niteſcere cultu
Et rectos fieri calles per cuncta locorum
Deſerta,& formam meliorem his ædibus eſſe.
Si genus hoc habitare tuas permiſeris oras,
Quod claram virtute Curim ſibi conſtruet vrbem,
Quæ ſola ante alias longè anteferenda nitebit.
Diues opum, Cereriſq. bonis, & rebus opima:
Acri ſtirpe virum,æterniſq. replenda trophæis
Regum, vbi gens Martis cultum,ſtudiumq. ſequetur.
Illaq. Roma potens linguis tot prodita vatum.
Non modicam indè ſui partem captabit honoris.
Gens ideò Romana trahet ſublime Quiritum
Nomen, eritq. horum factis illuſtribus aucta,
Atque Curim non abſque reor ratione vocandam.
Siue quod haſta Curis populis dicatur ab illis:
Quam geſtare ſolet cunctorum dextera regum.
Tali dicentur forſan ratione Quirites:
Mos quia ſæpe erit his populis haſtilia ferre,
Siue Curim proprio de nomine dicet auorum
Conditor huius oliuiferæ Sabbatius vrbis.

Hæc

Hæc erit imperij ſedes, gentiſq. Sabinæ
Curia non paruo regum decoranda nitore.
Hic quoque Caſperiam factis inſignibus eſſe
Auguror ornandam Tetrico non culmine ab alto
Diſtantem: naſcetur vbi gens ſanguine claro,
Cumq. erit exequata ſolo, iſta ex vrbe ſuperſtes
Aſpera dicetur ducta alta ab origine tellus,
Siue quòd aſpis erit duris comperta latebris
Mirè incluſa manens, vitamq. in marmore duro
Ducens abſq. vllo ſpiraminis indice ſigno,
Seu potius quòd erit ſtudijs gens aſpera belli
Quæ multa obſtabit virtute hoſtilibus auſis:
Non procul inde aberunt habitantes mœnia Turris
Indomitum pectus quorum haud vis horrida frãget
Mox Cybeles mota ex huius telluris amore
Crinito turres gaudebit vertice ferre.
Stabit & hic immota furentibus Aſula ventis
Marmoreas inter rupes in vertice montis:
Ceu grauis eſſe ſolet ſcopulus, qui fortiter vndis
Obſtat, quas irato emittit vortice pontus.
Sed mihi ſaxifero de Cote, quid annuat æther
Et de Caſtilionis agreſti tergore collis
Non benè noſſe datur, ſperare ſed ampla licebit.
Vndè erit exeſa egregij vena optima ſaxi,
Quod pulchra fabrùm ſpectabitur arte poliri,
Multa vbi traducet vitam, tempuſq. labore
Gens, & erit bello vtrumq. inſuperabile caſtrum.
Eſt mihi præſagire quoque ardua tecta Vacunæ,
Quæ celſo Tetrici ſtabunt ſub tergore montis,
Qui gemino ad cælum vſque ſuo ſe vertice tollit.
Auguror Arciculas, inter quas notus Hymellæ

Diſcurret riuus pluijs hyemalibus auctus,
Mons Bonus, ex probitate loci qui nomen habebit.
Hic erit argilloſa etiam ſub valle Taranum,
Tollet vbi innumeros decorum ad faſtigia virtus
Diuapoliſq. lares, græcum qui nomen ab vrbe
Ducent: per ſtudia hic emerget ſæpe iuuentus
Fertilis ingenio, priſcos imitata parentes.
An narrare ſequar regionis cuncta Sabinæ
Oppida, quæ tranſacta decem poſt luſtra ſequentur?
Inter quæ Collis fœcundis Vectius aruis
Conſurget, cuius ſolerti pectore gentem
Reges purpurei ad ſublimia facta vocabunt:
Obruta non virtus ibi paupertate latebit.
Hæc tellus proprio continget limite campos
Ciciniani, cuius erit venerabile nomen
Deductum magno ex aliquo ductore virorum.
Præuideo Foliam, Tybris quam flumina lambent;
Flanellumq. trahens ventorum à flamine nomen,
Quale plaga in quadam Riphæa cacumina ducunt.
Sed quæ prima vocanda erit alto munere tellus,
Mentes cunctorum in contraria ſæpe ferentur:
At quia paſtorale decus tunc Manlia tellus
Neſcio quo fato eſt habitura, ibi principis aula
Huius gentis erit, ſuper alto vertice montis,
Miro vbi relligio pia propagabitur auctu:
Templis exornanda pijs, ariſq. verendis.
Et ſpatioſa ſituq. locoq. vijſq. patebit.
Septimiana ducum ſtatio fidiſsima ſurget,
Cuius parebunt fœcunda vireta colonis:
Et Forulum terris alijs non fruge ſecundum.
Nec te Gabiniane ſinam, quod nomen ab Aulo
Duces

Duces Gabinio generoſo principe, cuius
Extendet famam facundia docta virorum.
Nec te Cantalupe meis indictus abibis
Augurijs, qui,ceu vaſtum tranantibus æquor
Nautis eſſe ſolet portus,te ita credo futurum
Hoſpitibus,quoque Scilicij conſurgere tecta,
Arcis & Antiquæ proles ventura videbit.
Pagus erit,Montis qui Nigri nomen habebit,
Conſpicuus ſaxis,excuditur vnde fauilla.
Hic erit & Podium, pulchrumq. ſine arte Catinum
Machina naturæ celſis æquanda theatris,
Vocis vbi clamoſæ incluſa ſonabit imago.
Iam parte ex alia glaciali fonte madentem
Affore Mandelam cæleſtia ſidera monſtrant,
Vulgo Myrtetum Podium nam ſæpe virorum
Virtus digna ibi erit myrti,lauriq. coronis.
Hic prope Montopolim fructu,pomoq. feracem
Præcinit auſpicium,cui non a nomine diſpar
Creſcere cernetur cunctarum opulentia rerum:
Tanta erit vbertas,&amœni gratia collis,
Vt quis ibi Pomonæ haud eſſe putauerit hortos?
Incola ſæpe ferum certamen inibit in hoſtes,
Ob patriam; gentiſq. inimicæ ſanguine terram
Non ſine bellator magno perfundet honore.
Non exinde procul ſpectabitur arua rigare
Ille celer Fabaris, rapido qui vortice manans,
Ingenti gyro Mæandri circuit inſtar.
Non te Voconiane ſinam,quod nomine vocis
Gaudebis; nam voce Deus bona cuncta creauit.
Hic quoque noſtra Nouum referunt præſagia Caſtrũ,
Quod virtute ſua priſcos renouabit honores

Atque Faram rerum clara vbertate potentem,
Experietur vbi acre genus ſua ſemper in armis
Bracchia ab hac tellure ferri cernuntur Achilles,
Alcideſq. alij generoſo ſurgere corde,
Rus vbi cænobiumq. pium templumq. ſuperbum
Affore vaticinor cultuq. & honore colendum:
Maieſtas, geniumq. loci vbertate vigebit.
Quo multas mercator opes, merceſq. reducet:
Dulci ſpe quæſtus,lucriq. cupidine ductus.
Tuffia non longe ſub amæno monte ſedebit,
Cuius non paruo incumbent feruore coloni
Ad res præclaras omnes cultumq. Mineruæ.
Cæſariana triumphantis quid Cæſaris addam
Tecta? & Pompeiana graui vel nomine clara
Heroum? qui illa extollent mox omnia muris.
Donideum & Podium fore præclarum auguror armis
Cuius amæna dabunt fragrantes arua liquores
Nec quoque labetur longum poſt ſæcula tempus
Quo multa celebris fabricabitur arte Fidena
A Medio Fidio ceu mente animoq. voluto
Incola Moiani populus Podij inde ſequetur
Ex quo principium præſagia noſtra decebat
Sumere. erit ſiquidem, veluti diſcernere poſſum,
Mons ibi Iane tui venerandi nominis hæres
Ac tua ſeruabit monimenta ſuperba per æuum
Hic erit egregij rutilans Putealea factis:
Celſis cinta iugis: putei formabitur inſtar;
Atque Canis Mordens nulli virtute ſecundus;
Scandriliæq. lares ſtirpe acri,opibuſq. replendi,
Ardua quamquam illuc per Rupes ſemita gentem
Ducet,& atroci Nerula ædificanda Nerone,
A quo

A quo (ſi vera eſt prudentia) nomen habebit.
Mons quoque, libertas cui ponet amabile nomen.
Nam profugis forſan populis erit inſtar Aſyli.
Fatidico ipſe Palumbariam quo carmine dicam?
Hanc fore fœcundam pomis, & dulcibus vuis
Auguror ornandam heroum ſplendore perenni,
Qui ceu fata monent reſonanti laude Sabelli
Dicentur, quorum ad ſeros ducenda nepotes
Inclyta nobilitas nullo certè excidet æuo.
Hi ſacro Imperio frænabunt orbis habenas.
Vnde duces venient præſtanti Marte micantes,
Qui pro relligione ſacra nec obire timebunt,
Atque ſuam nitido cum ſanguine fundere vitam,
Quos ego prætercam potius, quàm laudibus auſim
Augurijs tenuare meis: nam cernere cuncta
Non mihi poſſe datur talis præſagia gentis.
Auguror Eretum larga vbertate refertum,
Cuius facta ſuum nomen ſublime ſequentur.
Heroum ſiquidem generoſa prole micabit,
Sit licet à Iunone trahendum nobile nomen,
Quod vaga conſpiciet Romanæ prædia gentis:
Fertilis huius erunt naſcentia marmora terræ,
Saxaq. pulchra ſatis claris ſcalpenda magiſtris,
Pro nitidis regum domibus, templiſq. ſuperbis.
Nec vos Nomentana viris fœcunda ſilebo
Nobilibus tecta, inter quos Creſcentius heros
Cum generoſis ibit ad omne nepotibus æuum,
Quorum vt in obſcura mihi nube apparet imago;
Pluraq. prorſus erunt etiam, quæ indicta relinquo.
Cum non vlterius mihi ſit narrare neceſſe.
Hæc ego quæ dixi tandem ſua nomina habebunt

Oppida.

Oppida, quæ ex huius generoſo ſanguine gentis
Conſurgent, fama totum vulganda per orbem.
Hæc vbi cuncta pius ſenſit præſagia Ianus:
Tunc genus externum ſubitò, populoſq. Sabinos
Imperat accerſiri: nam illos affore regni
Splendori, laudiq. putat, ſecumq. reuoluit.
Tunc ſtatuit Sabus ad Iani altum mittere denos
Tectum legatos ducitq. decentius alto
Eſſe ſuo decori, & gradui, quam ſe ipſe, ſuumq.
Obieciſſe caput. miſsi ergò dona ferentes
Iano, quem poſtquam regali more ſalutant,
Manlius eloquio inſignis ſic incipit ore:
Inclyte rex Latij, te non Lacedemonis vrbis
Fáma latere poteſt, vbi non temnenda propago
Exijt heroum ſemper, regumque, ducumque:
Nos genus externum hac deſcēdere ab vrbe fatemur,
Cumq. his muneribus paruis, quæ lumine cernis,
En ſumus a ductore Sabo ad tua limina miſsi,
Qui diuum auſpicijs, monitis & Apollinis alti
Tentauit, voluitq. tuas inuiſere terras,
Et nos Italiæ fœcundas ducere in oras.
Tu, cuius reſidet mitis clementia cordi,
Nos permitte tuis placidis conſiſtere regnis:
Annue quæsò, piamq. iſtam ne deijce mentem.
Nos etenim pelagi per acerba pericula vecti,
Per ſyrtes, perq. immenſos quoq. grandinis imbres
Venimus, vt tandem optata exciperemur arena:
Per nos veſtri ingens decoris non fama latebit;
Te genus excepiſſe Sabi haud, rex alte, pigebit:
Perpetuis florebit enim hæc tua gratia luſtris.
Manlius vt tandem finem dedit ore loquendi,

Ianus ab aurato ſolio dein talia reddit:
A patria etſi eſtis Lacedemonis vrbe profecti,
Veſtræ nulla tamen virtuti erit extera tellus;
Hoc ego vos grato hoſpitio, laribuſq. benignis
Sumo, voſq. omnes conſiſtere lætor in oris,
Quæ poſitæ in noſtri imperij ditione recumbunt:
Maxima ſemper erit vobis opulentia rerum,
Dum ſubiecta mihi terrarum regna manebunt.
Hæc vbi dicta dedit graue gemma, auroq. monile,
Quo decoratus erat, capiens, ita voce ſecutus:
Sumite quæ vobis ego porrigo dona, Saboq.
Nomine ferte meo,& gratum narrate fuiſſe,
Quem miſit gladium, & ſignis ancile coruſcum:
Atque à me munus quodcunque remittitur olli,
Quæſiti haud tantùm hoſpitij,ceu teſſera,ſignum,
Sed quoque ſit noſtræ indicium memorabile mentis.
Manlius innumeras reddens pro munere grates,
Eius ab aſpectu ſe alijs cum gentibus heros
Subtrahit,atque Sabo reſponſa audita reportat.
Incipiunt igitur fortes habitare Sabini
Tecta Amiterna prius parui intrà mœnia pagi,
Nomine qui claro eſt olim Teſtruna vocatus,
Spontè vbi prima fuit ſtatio, ſedeſq. petita.
Hæc loca læta colens Sabus,& contentus amœnis
Sedibus,Italiæq. plagæ dulcedine captus
Miratur, nec non exquirit ſingula lætus.
Nonnullos cognato, & amico fœdere iunctos,
Quos intra natale ſolum ſors improba iuſsit
Linquere, fidus amans nullo obliuiſcitur æuo;
Verùm quidquid agat, quaſcumq. capeſſat & oras,
Siue quibus pelagi ſit iniquis fluctibus actus:

Illos

Illos de cunctis certos dat reddere factis;
Cuius ſcripta manu hæc narrabat epiſtola verba:
Te ſaluere prius iubeo dilecta propago.
Conſcia do eſſe ſimul veſtræ penetralia mentis
Quommodò nos altus ſpacioſi conditor orbis
Præſtanti dedit in regione capeſſere ſedes:
Quæ plaga in Italiæ medio tanto extat honore,
Illius vt meritò dici cor nobile poſsit,
Quæue ſit ex tali aſpicitur præſtantia ſigno.
Scilicet illa tenent medium, quæ cætera præſtant,
Atque ea quæ poſſunt virtute excellere cuncta.
Nam quales rutilant formoſa in virgine zonæ,
Et caſtum diſtincta ſinum ornant cingula gemmis:
Talis in Italiæ gremio regio iſta refulget,
Quæ ſic auricomo tota eſt gratiſsima Phæbo,
Vt nunc non inter viridantia lictora Tempe
Ipſe ſequatur odoratam per deuia Dafnem,
Antra nec ad fontes eius, riuoſq. fluentes
Tendat, maturoq. petat nemora ardua greſſu,
Sint ſpecioſa licet fragrantibus inſita lauris:
Huius nunc autem caſto regionis amore
Succenſus, grataq. ſimul tellure receptus:
Illius arua petit cætu comitante ſororum,
Haſq. ſibi tandem ſedes ſortitur amœnas.
Sic equidem ipſe meo penitus ſub corde reuoluo,
Cum data ſint nobis ab eo reſponſa per auras,
Vt caros peteremus in hac regione penates:
Dum ſua ſunt conſulta pijs oracula votis;
Hæc regio nemorum frondoſo tegmine cincta,
Sit licet Appennini inter iuga condita montis,
Planicies, valleſq. tamen non vndiq. deſunt,
Com-

Compita, directiq. loci, campiq. patentes,
Sunt vbi capreoli, lepores, ceruiq. vagantes
Hiſtricis omne genus, maculis fulgentia vibrans
Quæ gerit in fibris hirſuti ſpicula dorſi.
Setigeroſq. apros, patulo qui prorſus ab ore
Ad caput vſque ſolent binos extollere dentes.
Hic omni fructu, pomoq. arbuſta graueſcunt;
Verùm fertilitate graui albens Palladis arbor.
Pampinea & pariter ſupereminet omnia vitis.
Græcia fragrantes ceſſet iactare liquores,
Fertilis atq. ſuum quod habet Lesbi inſula nectar.
Hæc procul eſt cunctis regio rumoribus ægris,
Quos mare terriſonum violentibus euomit vndis;
Nunc pirata ferox quantùm vult ſe efferat ergo
Multos ſæpe ſinus penetraſſe cupidine prædæ,
Nunquam hos vel vidiſſe quidem gaudere licebit.
Hic non tanto, vt ibi, ſæuit tenebroſus Orion
Turbine, ſed molles zephyros hic ſpirat horizon,
Nec ſegetem hic audent minitantes lædere nimbi;
Cuius temperies, atq. indulgentia cæli
Ingenij largitur opes, & mentis acumen:
Eſt pariter natura ſoli, cæliq. ſalubris,
Corpora, & ægra hominũ reficit, morboſq. repellit:
Quod vos ex iſtis patrijs decedere tectis
Excitat, æterni cupitis ſi gramina veris.
Dum mutantur enim, vt meliores eſſe liquores,
Atq. arbuſta ſolent alios traducta per agros;
Sic homines generoſi externis ſemper in oris
Virtute euadunt meliori: vt Perſidis arua
Noxia mala ferunt, quorum dat ſurgere plantam
Mirifico effectu tellus aliena ſalubrem.

Huc igitur tentetis iter, properetis adire.
Nil equidem veſtro aſpectu mihi gratius eſſet,
Nil comitumq. meorum votis aptius vnquam.
Interea dulces cuncti valeatis amici.
Spartanis tandem directa hoc littera fine
Clauditur, & ſubitò illorum defertur ad oras.

Finis Libri Primi.

IN SECVNDVM SABINIADOS IIBRVM ARGVMENTVM.

SABVS ſpe aduentus aliorum Lacedemonum, ab ipſo certioratorum, fouet ſocios: & cum in in Italia, vbi ſedes poſuit, plurimas opes, ac dominium multarum terrarum eſſet adeptus, perſuadet ſuis, vt regem creet Titum Tatium. Tūc Vmbri videntes ampliari Sabinorum vires, inuidia perciti, bellum in eos decreuerunt: vnde ex voto quodam, pro reportata victoria à Sabinis ſoluto, Piceni, & Samnites originem ſuam traxiſſe commemorantur. Hinc etiā Romani ipſi propagati ſunt: cum ſiquidem vrbs fœminis careret concilio ea de re habito, Romulus miſit Oratores, qui cum Sabinis de connubijs contrahendis ſedulò agerent, qui cum, re infecta, Romam rediſſent, & aduerſus Sabinos eſſent inuecti, conſtitutum eſt à Romulo, vt vi, et dolo Sabinorum fœminæ raperentur. ipſe irā diſſimulat, erigendo ſimulacra heroum Sabinorum in foro Romano, vt ipſi facilius venirent ad Circenſes ludos videndos: diem conſtituit, & ficta quadam benignitatis ſpecie virgines ſpectandi gratia inuitat: quæ, dum Romulo fauere volunt, veniēdo vulturū in via triſti augurio terrentur; ſed fatale nihilominus iter proſequentes vrbem ingrediuntur. Cum verò raperentur, & mœſtitiam præ ſe ferent incredibilem, id animaduertens Herſilia ſingularis adoleſcentula violenter, in raptorem irrumpens, ipſius enſe ereпто, manum, quam ad raptum extendebat, obtruncat: quamobrem in vxorem à Romulo ducitur. De vna ex eis pulcherrima diſcrepātibus inter ſe raptoribus, clamatū eſt Talaſii nomen; ſic vni conceſſa eſt. Hinc Talaſius nuptiarum deus eſt creditus ab antiquis. Ne vlciſcerentur Sabini perpetratum ſcelus eos, qui aderant: Romulus interfici volebat; ſed ob Herſiliæ preces illis pepercit qui lætitiæ cauſa, vt veſpertini ignes fierent, nympharum ſyluam contidi iubet. Ideo Pales nympha contra illum inuecta eſt; bellum, quod inde venturum eſt prædicens.

HORATII MASSARII V. I. D.

SABINIADOS

LIBER SECVNDVS.

SPe Sabus hinc cœpit ſociorum paſcere mentem
Aduentus, fauſtumq. ſibi promittere rerum
Euentum; atq. ſtudet moliri ingentia facta.
Tum noua templa, arceſq. altas, & mœnia condens:
Tum ſacra iura ferens, populoſq. ſub illa reducens:
Sic fruitur multorum ampla ditione locorum.
Hunc ideò voluere alta inſignire corona
Gentes, atq. ſibi optarunt imponere regem.
Sed quia correptum morbo, vrgentiq. ſenecta,
Atque grauem multis pariter ſe conſpicit annis,
Multiplici quorum numero fit debilis ætas,
Atq. gradus tardi fiunt, tremebundaq. membra;
Inq. ſolum proni vultus, animusq. fit æger;
Et cunctæ languent effœto in corpore vires;
Vicinoſq. ſuos letho quia nouerat annos:
Hoc nunquam voluit regali munere fungi,
Iſta nec eſt decora, atq. inſignia paſſus habere.
Concilium ſed grande vocãs, procerumq., patrumq.
Collectum quod vbi vidit, ſic voce profatur:
Cum ſimus tanta facti ditione potentes,
Semper vt innumeras poſsimus ad arma cateruas
Ducere, nec nobis argentum deſit, & aurum.

Quod ne vaneſcat poſt fata meæ vltima vitæ,
Ante meos obitus mihi nil optatius eſſet,
Quàm regem ex noſtris decerni gentibus vnum,
Qui regat imperio terras,ac deniq. noſtris
Succedat caſtris,curamq. capeſſat habenæ.
Omnis enim populus ſine rege, aut principe celſo,
Eſt ſine ſole velut ſpacioſi machina mundi.
Id fieri præſertim cernitur eſſe neceſſe
Nunc,quandò furere incepit Bellona per Vrbes,
Vmbrorumq. graui liuore tumeſcere gentes:
Cum nos florere armis, ac diteſcere cernant,
Atque nouas fabricare venuſtis mœnibus vrbes.
Verùm cui melius tanta huius ſarcina regni,
Quàm Tatio dabitur? cuius ſublimia facta
Non obſcura reor vobis; nam dignior alter
Inter cuncta poteſt vix agmina noſtra videri,
Marte acri inſtructus penitus, belliq; peritus,
Cuius in egregio alta ſedet prudentia corde,
Ingeniumq. potens, quod non horrentia Phlegræ
Vnquam monſtra ducum,vireſq. nec arma gigãtum,
Diræ nec Bellonæ etiam facta impia terrent.
Et quis vultus erit regali dignior aula?
Quàm ducis illius:nam celſo hoc munere fungi
Cauſa erit,vt ſua nos defendat bellica virtus.
Sunt ſubitò accenſi tam vera voce Sabini:
Firmaq. longæui monitoris verba ſequuntur:
Atq. ducem tantum nemo non optat habere.
Hinc illum in ſolio comites ſtatuere ſuperbo,
Sceptraq. dant manibus: ponunt capiti aurea ſerta.
Tunc Tatius venerandus ait: quas reddere grates
Magne tibi potero Sabe,qui obſequioſa parenti

Non tantùm ipſe meo, dum vixit, ſigna dediſti;
Sed quoq; direxti me nunc ad culmen honoris,
Quo tu dignus eras potius: ſed fabor id vnum,
Tempora nulla tuis poſitura potentibus eſſe
Laudibus, officijſq. modum, factiſq. verendis:
Ante oculoſq. omni me habiturum tempore, ad alta
Conſilio, monituq. tuo regna eſſe vocatum.
Vnde Sabiniadem mihi erit laus magna vocari.
Interea fortes acuunt feruentius iras
Vmbri, qui dictis inſultant ſæpe, miniſq.:
Et cum bella Sabini eſſent agitare coacti,
A ſacro curant ordiri ante omnia cultu.
Promittunt etenim Marti, quæ tempore veris
Edita ibi fuerint animalia lucis in auras,
Eſſe litaturos illius ſe omnia templo;
Si modò victores poſſent ex hoſte reuerti.
Poſt victos hoſtes vota hæc perſoluere curant:
Et pars Mauorti rerum non parua litatur.
At pia cum genetrix natorum pignora, partuſq.
Innumeros illo ſacro produxerit anno,
Haud certe pietas humana ferebat, vt illos
Mater mactandos nitidis imponeret aris.
Sunt igitur Martis numen ſublime precati,
Hæc vt vota alios conuertere vellet in actus:
Qui ſubitò ante oculos præclara in nube refulſit,
Haſq. dedit placidas diuino e pectore voces:
O gens cara mihi multos dilecta per annos,
Haud tantum cupio exitium, tantiq. cruoris
Parcus ero; hæc igitur ſeruetur veſtra propago:
Thura ſoletis enim noſtris imponere templis;
Voſq. meum in numen gratos oſtendere cerno.
Hinc

Hinc vice mactandi prolem,ceu vota requirunt,
Vt mihi præſtantem Taurum mactetis ad aras
Ipſe ero contentus: verum mihi debita proles
Iſta petat terras alio ſub ſole iacentes:
Atq. ea ſiſtat ibi greſſus,vbi lumine primùm
Aſpicient auidam volucrem mihi rite dicatam:
Atq. illa ducant regionis ab alite nomen;
Ne vobis conceſſa aboleſcat gratia voti.
Hæc vbi dicta dedit Mauors;tunc iuſsa Sabini
Illius ac penitus mandata faceſſere curant.
Quare dum prolem generoſam adoleſcere cernunt,
E laribus,patrijſq. iubent decedere tectis
Cum duce, cui nomen Taurum fecere parentes;
Vt ſibi ſub terris alijs noua mœnia condant.
Dum via ducebat teneros hac mente nepotes:
Cum vexilla manu ferrent,atq. inclyta ſigna,
Eſt ſuper his viſus velox conſidere picus.
Tunc ſubitò augurium,tantumq. nigræ alitis omen
Omnes obſtupuere,ratiq. hæc magna futuræ
Virtutis ſigna,& præſagia ſemper in armis.
Hinc Marti incepit picum ſacrare vetuſtas.
Mars igitur veluti iuſsit,gens illa faceſsit;
Ex ipſo tantum ſtatuens deducere pico
Nomen Picenum,& regioni imponere curans.
Sanguinis ingenui ſimul huius origine gaudet
Virtute inſigni Samnitum prædita proles,
Quæ clarum eſt ideo nomen ſortita Sabellum;
Vt germen iuuenile Sabinorum inferat eſſe.
Hinc etiam illa potenti tellus æmula cælo
Eſt deducta, caput mundi,culmenq. vocari
Digna:etſi virtutis ei nil defuit vnquam:

Subdita Clementi, at nunc cum ſit munere diuum,
Clementi rerum domino, cui carior alter
Vix illi eſt conſanguinitate, Odoarde, propinquus,
Quàm tu, germanuſq. tuus Ranvccivs acer.
Pontifice hoc (inquam) Roma aurea ſæcla reſumit,
Nobile virtutum iam cernitur eſſe theatrum,
Lumine diuino huic princeps dum proſpicit vrbi;
Dumq. nouis illam ſpolijs, celſiſq. trophæis
Accumulat debellati ſine cæde Comacli,
Atq. opibus victa Aemilia ex regione receptis:
Cuius nunc ſatius præconia principis eſſe
Prætereunda reor, quàm de illo pauca referre.
Romanum veniſſe Sabino è ſtipite germen,
Mendaci ſermone negare quis audeat vnquam,
Si modò Romulidis natæ nupſere Sabinæ?
Mœnia nam ſubitò ac ſpatioſæ condidit vrbis
Romulus, hanc rebus quamuis complerit opimis,
Attamen haud permanſuram prænouerat eſſe,
Et fruſtra tentare videt, quodcumq. gerebat.
Condita fœmineo careat ſi ſanguine tellus:
Vnde trahi haud ſoboles poſsit generoſa nepotum.
Penè vir omnis enim conſorte, toroq; iugali
Orbus erat; regnum verò telluris opimæ
Ad vaga cum princeps extollere ſydera vellet.
Nil niſi conſeruare nouam præcogitat vrbem.
Illius hæc animum tantum pia cura perurit,
Et quid agat varijs dubium cor fluctuat vndis.
Quapropter cupiens mentem depromere factis:
Concilium acciri mandat, clarumq. Senatum:
Eſtq. tuba ſubitò largam collectus in aulam
Sedis Tarpeiæ; quò conuenere priores,

Conſcriptiq. patres, iuueneſq., ſeneſq. togati.
Talibus affari ante omnes rex incipit ipſe:
Eſt iam noſtra ſatis firmata potentia ciues,
Eſt ita iam valida ingenti pro munere Diuum,
Tum virtute ſimul veſtra, bello æquet vt omnes
Vrbes, ſub quocumque iacentes ſydere cæli:
Sed quia fęminei magna eſt penuria ſexus;
Vnde hæc maieſtas, noſtrumq. hoc nobile regnum
Tantùm deeſt forſan, tempus ne duret in illud,
Dum defixa polo aſtra manebunt, atq. nitentes
Luna faces, radioſq. leues ab Apolline ſumet,
Vt breue vix hominis poterit florere per æuum:
Nam neque certa manet prolis nos vlla futuræ
Spes, neq. confinis connubia gentis habemus.
Vos veteres vrbes vltro citroq. ſepultas,
Extinctoſq. lares claros meminiſſe poteſtis,
Propter egeſtatem thalamiq., toriq. iugalis.
Dicite quæ tentanda via? & quæ læta petenda
Connubia? vnde genus noſtrum ſe tollere in aſtra
Poſsit, & æterna veſci huius luminis aura?
Dicite quæ ciues animo ſententia ſurgat.
Liuius ecce repentè ſenex, qui à gentibus augur
Doctus habebatur, conſulta oracula Phœbi
Quòd perſæpe aure accepit, ſic voce profatur:
Optime magnorum heroum tua pectora tantis
Exagitas curis, poſitæ vt ſacra mœnia terræ
Conſerues, poſtquam tanto crexti illa labore:
Iuſtitiæ ſeruator enim (velut ipſe refulges)
Immortale foret dignus, qui duceret æuum:
Sed ſacra naturæ lex id concedere non vult:
Eſt modus in tali re; nam ſtabili ordine natos
Vir

Vir generans ſeipſum ſub imagine linquit eorum;
Cum rarò contingat vt altis germina plantis
Degenerent. quare quis non te laudibus ornet?
Cum tua cernatur procliuior eſſe voluntas
Ad commune bonũ, propriæ quàm ad cõmoda vitæ?
Tu ſemper mente, atq. animo maiora rependis,
Non contentus adhuc tectis decoraſſe ſuperbis,
Totq. pijs aris, cultuq. & honore colendis,
Rebus & egregijs varia ex regione receptis
Hanc vrbem celebrem, quam non mea cęca futuri
Mens, dominaturam ſpatioſo præuidet orbi.
Nam veniet luſtris tandem ſurgentibus ætas,
Cum populi hac leges, faſceſq. ex vrbe requirent:
Et genus omne virũm in bello iuga noſtra ſubibit:
Cum victas Phariæ, ac Phrigiæ populabimnr vrbes.
Parua loquor dominam Rhodani, Rheniq. futuram,
Carphatij, Tanaiſq. niuoſi, & fluminis Iſtri,
Memnonijq. ſimul populi, & Gangetidos, atq.
Litoris Eoi, Niliq. nigra arua rigantis,
Atq. Arabum, Indorumq. auro, gemmiſq. potentum.
Tandem longa referre mora eſt genus omne uirorũ:
Quod ſub Romani celſa ditione futurum
Auguror imperij, connubia dummodo genti
Sint: ita quam poſuiſti immenſam mœnibus vrbem,
Stabit, & æterno producet temporis æuo
Quos tua iure pio vellet veneranda nepotes,
Et caros ſperatq. cupitq. potentia natos.
Cuncta Sabinorum connubia firma requiras,
Tum quod ſit noſtræ huic almæ vicinior vrbi,
Tumq. quod inferior nullis ea ſanguine proles
Sit populis, nec noſtra manet confinia circùm

Aptior

Aptior ad ſtirpem egregiam, prolemq. creandam.
Plures principium populi hinc (vt credo) tenebunt,
Immortale quibus decus hæc extabit origo.
Talia dicenti fauſto clamore ſenatus
Annuit, & nemo penitus tunc diſcrepat, atq.
Diſſenſus minime ſtudia in contraria rapti,
Et fremor haud varius plebis, menteſq. fuere.
Ob dignam Rullus faciem, canumq. capillum,
Quo fulgebat, erat ueluti pars magna Quiritum:
Cum regi conſanguinitate propinquior eſſet,
Omnes hortantur fari quid corde uolutet,
Et quæ ſera ſuæ ſedeat ſententia menti.
Ille hæc mirando tandem ſic ordine fatur:
Non mea nunc primùm mens iſtud duxit agendum;
Fœminei ſexus dudum miſeratus egenos
Romulidas ſum vltrò, tædiſq. iugalibus orbos;
Et ſæuam lacrimis ſortem perſæpe piaui.
Illas namq. nurus quoties, ſponſaſq. parentum
Noſtrorum Troiæ excidio perijſſe recordor,
Impia me cogit ſors ora, genaſq. rigare:
Fæmineus ſiquidem hinc ſexus defecerat omnis.
Tu verò virtute tua pie Romule princeps
Efficis, vt veterem ponamus corde dolorem.
Atq. vt pertentent noſtras noua gaudia mentes,
Pro veteri poſtquam patria meliora dediſti
Mœnia, quæ eſſe puto æternos manſura per annos.
Vtq. id concedant nobis pia numina diuûm,
Querere, quas de gente Sabina optamus, oportet
Conſortes, cuius florent hoc tempore regna.
Mittantur Legati ideò, qui talia poſcant
Connubia. In mentem vt populus concurrit eandem,

Romulus iſta breui rurſus ſermone profatur:
Ne morer ipſe diu,quando eſt mihi tanta cupido,
Tantaq. perpetuò ſeruandæ gloria prolis.
Talaſius,Fabiuſq. potens,& Clodius ibunt
Tres Oratores,noſtra vt mandata Sabinis,
Non abſq. eloquio,& dulci ſermone reportent.
Hæc vbi dicta dedit finem poſuere Quirites
Concilio,cunctiq. ſuos petiere penates.
Ergo luce noua dum orbis,cæliq; theatrum
In roſeo curru veniens aurora tenebat.
Palladis hyblæo facundi, Hermisq. lepore
Legati,comitante viam pulchro agmine,ſumunt.
Sic vbi peruenere Sabinæ ad mœnia gentis.
Lucius ob canam lento ſermone ſenectam
Incipiens fari multis ambagibus inquit:
Huc iter eſt nobis Romana ex vrbe profectis:
Conditor vrbis enim iuſsit mauortius heros
Non ſine conſilio ad veſtras accedere terras,
Demus vt illius vobis noteſcere mentem.
Nam cum veſtræ ad eum perlapſa ſit inclyta famæ
Aura,decuſq. nitens,nomenq. inſigne nepotum,
Vos cupit eſſe per æternum ſibi tempus amicos,
Dummodò non fuerit noſtris hæc veſtra voluntas
(Quod ſuperi auertant) contraria mentibus vnquã.
Ex tenui multas nouiſtis origine terras,
Atq; vrbes,pagoſq. nouos velut omnia naſci,
Quæ virtute ſua, Diuiſq; iuuantibus ipſis
Ingentes tandem gazas, & nobile nomen
Efficiunt, memoremq. ſibi per ſæcula famam.
Non reor hoc quemquam cælo monirore latere,
Noſtram nobilibus fabricatam mœnibus vrbem,
Quæ

Quæ eſt vbi deſignata, micantius axe ſub illo
Sydus, quàm ſoleat multa ſub nocte refulſit.
Sunt & aues vexilla inter conſidere viſæ
Proſpera Romano referentes omina regi.
Atque vbi fundamentá recentia nobilis arcis
Sunt effoſſa, viri eſt caput illa in parte repertum,
Quod felix cànitur Capitoli à vatibus omen
Vnde omnes potuere fàtis cognoſcere gentes,
Romuleæ ſemper primo telluris in ortu
Cuncta ſuperna fuiſſe poli præſentia Diuum
Numina, virtutemq. illa haud procul vrbe futuram.
Quam pius vt princeps noſter conſeruet in æuum,
Huic ſe ideò cuperet veſtræ ſociare cateruæ.
Scilicet haud meliora àliunde expoſcere cernit
Connubia, & quæ tale decent genus acre Quiritum.
Lucius hæc dum acri ſtudio, hortatuq. ferebat,
Ne tamen immiſcere ſuam cum gente Sabina
Verborum tanta legati ambage grauentur,
Neu ſua Mæàndris inuoluant dicta retortis,
Talia Romulei regis mandata benignè
Non ſunt à ſenibus, patribuſq. audita Sabinis.
Corde volutabant etenim, quod ſi acre fuiſſet
Id genus, haud patriam tam turpiter igne cremari,
Dardaniæq. lares ſterni, ſedeſq. tuliſſet.
Debuerat ſed eas Graijs defendere ab armis.
O, velut agmen iners, & relliquiæ ignibus atris
Eductæ, ac reſides populi connubia poſcunt,
Nec minima exquirunt thalami conſortia noſtri;
Hoſq. ita temnebant, alto de pectore voces
Fundentes: tantam certè quam fertis ad aſtra
Surgentem vobis, veſtriſque nepotibus vrbem;

Pectora noſtra timent:gelido concuſsa pauore.
Nec ſine contemptu pariter pleriq. rogantes:
Promebant placidas ſimulato ex ore loquelas:
Num quoq; fœmineo generi reſeraſtis Aſylum?
Coniugium hoc etenim nobis ſecus afforet impar.
Romulidæ languent miſsi cum talibus eſsent
Illuſi, mœſtiſq. replent ſua pectora curis.
Ac tumuere velut iacto lapide horridus anguis,
Qui licet occultis ſe abſcondere curet in antris,
Attamen erigitur, quæritq. per arua veneno
Inficere herbas, quando aliter non poſsit obeſse:
sic quoq. Romulidæ quæcumq. petita videntes
Eſse recuſata, irati hinc abiere repente,
Atq. ſuas mœſti remearunt vrbis ad arces.
Vt rediere viri, & coram conceſsa ſenatu
Copia dicendi: mores, & facta sabinæ
Gentis dum referunt, rem totam ex ordine pandunt:
Et retulere ſuo pleni ira talia regi:
Quantùm Romana aſpernentur tecta sabini;
Quàmq. ſuo indignos ducant nos fœdere ciues;
Poſsumus ex multis equidem cognoſcere ſignis.
Et ſunt præcipuè nunc nos inuadere viſi.
Et quid nos aliud tam inuiſum forſan ab illis
Quàm nos affines fieri, generoſq. fideles
Velle petebamus? claro nos nomine ducti
Illorum licet haud opibus tollamur eiſdem;
Attamen illud idem nobis eſt robur in armis.
Quid niſi connubium ſociale popoſcimus, vltrò
Quod ſolet externis populis iungiq., darique?
Nil erat ergò noui nobis quod iure vetari
Poſset: quid ſi cælum optaſsent iungere terris

Noſtræ forte preces quid plus illudere nobis
Omnes tentaſſent gentes,populiq. ſabini?
se iactant gratum nobis nihil eſſe daturos,
Nec quoq. mixturos proprium genus eſſe profantur
Cum populis,domibuſq. aliena ex parte petitis.
At ſi Romanæ ſplendet nunc vlla cateruæ
Maieſtas,ſiue vlla potentia floret in vrbe,
Nunc nunc expromenda foret,nunc poſtulat vſus,
si de veſtra aliquid ſperandum ſtirpe bonorum,
si quo digna foret cultu Romana iuuentus.
scilicet immeritò connubia læta negantur:
spes cum gente ſabinorum præciditur omnis.
Et quæ nunc tellus nobis, & quæ oppida iungent
Connubia?aut quæ Romuleis ſpes certa manebit?
Tellus(quod ſuperi auertant)Romana nequibit
stare diu,æternoq. frui æuo;eſt ſcilicet actum
De veſtri imperij, & veſtræ ditionis honore.
Et quid ſtatis adhuc?rumor num fallit inanis?
Num quoq. ſentitis quantùm degatis in omni
Contemptu?vobis partem(ſi forte liceret)
Eriperent lucis,gratumq. vagi ætheris vſum.
Munere quòd Diuum vitales carpitis auras,
Hoc oderunt, & quòd adhuc halare poteſtis:
Quòd vos non vetuit vocem,verbumq. palato
Promere rex ſuperùm largitor opum, atq. bonorum:
Forma quòd eſt vobis hominum indignantur, & iras
In genus exercent,nec non ódia aſpera veſtrum.
Quin immane nefas(diuis ſi fertur ab altis)
Eſſe ſuas dicunt Romanis nubere natas.
O ſapiens cœtus forſan patieris inulta
Iurgia crudelis populi,ac ludibria linguæ?

Ah certè nimia vrbis ineſt iniuria noſtræ.
Nos iter aggreſsi montoſum, vt nuper ad illos
Romule, te mandante, toros orare iugales
Iremus, per iter truculenta incommoda paſsi.
Tantalea nos ſorte quidem propè poma, lacuſq.
Ducimur; vnda ſitim miſerando vt pellat ab ore.
Hos igitur fruſtrà patieris abire labores;
Inſtar & Aeolidis noſtra hæc molimina falli?
Hæc eſſent noſtrorum exempla pudenda nepotum.
Vlla ne fortè poteſt iniuria ſurgere maior,
Quàm velut oppreſſam ſanieq. maliſq. ſubactam:
Indignam tædis cenſere iugalibus vrbem?
Vrbs ſine connubijs, quæ ſit ſpoliata nepotum
Prole, quid eſt aliud deſertis quàm eſſe ſub antris,
Exiliumq. pati intrà eadem vrbis inania tecta?
Ne ſua cum noſtro ſocietur ſanguine proles
Curant, atq. cauent, ne adſint connubia genti.
Quid ſi nobilitas infecta fuiſſet iniquo
Sanguine? vos, veſtrumq. genus velut eſſet ab ima
Deductum tellure, cauiſq. paludibus actum;
Inter & Hircanæ natum compendia Syluæ:
Nunc igitur pereat legum veneranda poteſtas;
Ducere ne vxorem liceat magè gentibus vnquam;
Fortè homines aliquo poſthac è gurgite ſurgent,
Forſan & exilient iactis è dentibus anguis,
Quos quondam Cadmus viridantia fudit in arua.
Veſtrum eſt procurare, Patres, ſi creſcere ſedes
Optatis, ſi aditus clari præbetur honoris;
Rerum hæc ſumma tibi præſertim pertinet omnis
Romule, celſe, diu liceat ſi ſceptra manere;
Si liceat regnare: id enim gens annuit omnis

Eſſe tuum,idq. ſimul cuncti nos voce fatemur.
Si tua,quæ populis ſublimia iura dediſti,
Vis maneant,toto & poſthac ſeruentur in orbe,
Eia age, ceu ſemper feciſti his conſule rebus.
Sed ſine vi vlla dabunt nunquam connubia;& illos
Non precibus flectes,vires;fraudeſq. reuolue:
Hæc tentanda via eſt,noſtra vt ſint cœpta ſecunda.
Illorum poſtquam facundia plena furore
Orauit contra longo ſermone Sabinos;
Romulus atq. hauſit tandem cum reddita mæſtis
Auribus hæc reſponſa,ſecus quàm fortè putabat.
Impatiens neſcire toros,tædaſq. iugales,
Ardenti rabie;ſubitaq. eſt percitus ira;
Horridaq. arſerunt furibundæ lumina fronti,
Et flammas cilio immani,fumumq. vibrabat
Naribus, iratus ſolet vt difundere taurus.
Huic torquebat enim rabies inſana medullas;
Qui turbatus ait, tollens ad ſydera palmas:
O Hymenæe pater, cui vincla iugalia curæ,
Tu nunc affer opem,vrbanis tu conſule rebus;
Quandò tanta tibi eſt vni permiſſa poteſtas,
Iunge maritales thalamos, ne condita tellus
A me ſit ſobole æterna viduata nepotum;
Noſtra tuo ſiquidem languet ſinè numine Roma.
Hæc vbi dicta dedit,pecudes,tauroſq. litauit
O Hymenæe tibi,exornans tua ſacra,tuaſq.
Muneribus uariis cumulans, & honoribus aras
Curarum hoc igitur magnò dum fluctuat æſtu,
Rebus proſpicere vt propria vi & robore poſsit,
Fraude cupit,quæritq; ſuam perſoluere mentem,
Omnibus inſidijs curans raptare puellas,

Quas iſta poterat generoſa è prole ſabina:
Pernoctabat enim cura tunc ſemper in illa,
Augebantq; ferum ſimulacra cupidinis æſtum.
Sæpe per altam etenim veniebant ſomnia uoctem:
Et modò cum externis noua fœdera inire putabat,
Et modò fœmineis ſe amplexibus ipſe potiri
Et modò cum blandis nuribus verſare choreas,
Ludere cumq. illis per amœni gramina prati.
Sed ſomno excuſſus ſpecies quaſcumq. reſolui
Fine videt vano, & mœret non iſta fuiſſe
Vera, & complexu caruiſſe doletq. pigetq.,
Ac tali ſemper refuga deluditur vmbra.
Stans ita, nocte, dieq. animo quàm plurima voluens,
Proh ſcelus interea fraudem meditatur iniquam:
Quæ fuit, egregijs ſpectacula læta theatris
Tradere, feſtiuos & cum certamine ludos,
Quos fama eſt Conſi, & Neptuni ad equeſtris honorē
Offerri, vt rigidos componat in æquore fluctus.
Et ne, riparum rupto aggere, Tibridis vndæ
Fortè tumeſcentes, Auſtro ſurgente ſiniſtro,
Culta premant Romana ſuis incurſibus arua.
Sublimi in circo hæc ſpectacula læta dabantur
Antè ſacras Conſi celebrati numinis aras.
Hæc feruentis erant ſimulacra ingentia belli;
In quibus inſpectare fuit certamen equorum,
Qui ſunt tam rapido ſoliti contendere curſu,
Vt crineſq., iubaſq. darent effundere uento.
Egregij hic iuuenes præſtanti robore, & auſu
Exercent in olympiacis ſua membra palæſtris,
Splendida ſpartani vt ueteres exempla tulere:
Curriculoq. agili numeroſa haſtilia frangunt,

Et mira arte leues incuruant fortiter arcus,
Vt pugnent,interq. ferant ancylia iactus.
Hic quoq. ſaltandi inter eos certamen initur;
Et pede contendunt uictrici fronde potiri,
Libratumq. ſuper celſas immittere ferrum
Auras,robuſtis quantùm potuere lacertis.
Hic pugiles etiam magnis feruoribus acti
Callebant,populo plaudente, per atria circi.
Munere deinde ſuos victoria penſat alumnos.
Publica quid veteris memoro ſpectacula Romæ,
Si mihi maioris reſtant nunc plurima molis,
Atq. ſinus pelagi multò ſit maior arandus?
Romulus interea,vt ſpectacula ad iſta Sabini
Fœminea poſſent cum prole libentius ire,
Talia dicta ſuis dabat,& pandebat amicis:
Aptius eſſe reor ſimulare odium,atq. Sabinos
Non odiſſe palàm;rabidum ſed virus in imis
Occultare,meæ ac penetralibus abdere mentis:
Suſpecta officijs tentabo corda mouere:
Heroum ſimulacra Sabinorum ordine,& arte
Miranda celari in marmore,& ære iubebo;
His illos technifq. traham,haud ſecus,atq. volucres,
Quas fictarum auceps,ſpecieq. ,& imagine rerum
Attrahit ad laqueos,atq. ad ſua retia cogit.
Scilicet eſt generoſi animi ſimulare, quod acri
Optatur ſtudio,atq. pati, quod noſtra voluntas
Reſpuit. His finem poſtquam dedit ore loquelis,
Vt varijs ſimulacra locis ponantur in Vrbe
Mandat,gentis auos referant quæ, atauoſq. Sabinæ.
Oenotri enim,patriſq. ſabi platea ſuperbit,
Sagniq. egregijs ſimulacris mole ſuperba,

Atq. ſimul Medij Fidij, Enialiq, Curenſis:
Vndiq. conſpicua eſt procerumq., ducumq. coloſsis
Vrbs. in fornicibus celſis exprompſit eorum
Fortia facta patrum titulis ornata ſuperbis:
Et magni iactat ſe nominis omnis imago.
Quæ compoſta ſuis ſimul ac videre Quirites
Cuncta locis, viuos imitantia marmora regum
Aſpectus nullo mirari tempore ceſſant;
Lumina & expleri nequeunt defixa tuendo.
Mox operum curant tantorum extendere famam,
Et rumore ſecundo cuncta per oppida, & vrbes
Diuulgare, & multa ſimul præconia veræ
Arte vafra, & ſuadente dolo ſuperaddere laudi;
Viſendi ſtudio vt fluerent genus omne Sabini,
Præcipue verbis dum compellabit amicis
Illos Romanus rata iam ad ſpectacula princeps;
Fingebat magnis hic ſumptibus iſta parare:
Nonnulloſq. viros, qui merces ferre ſolebant
Semper ad emporium gentiſq., plagæq. Sabinæ,
Admonet, vt, quocumq. modo illis ſe offerat vſus,
Narrent, quæ ipſe Sabinorum miranda potentum
Heroum extulerit cum altis monimenta trophæis;
Et maiora ferant; vt equeſtres viſere ludos
Forte animent, cum tempus erit, quod ſcire licebit
Clara per edicti præconia vbiq. ferenda:
Inq. auida alliciant illorum pectora fraudem.
Sic illi ſubitò peragunt, nec iuſſa morantur;
Sed loca, & arua Sabina petunt, redeuntq. frequenter
Mercibus innumeris ſolito de more referti;
Vt foret hoc ad opus potius conceſſa facultas
Singula diuulgare perennia facta Quirini,

Quàm tunc vænales populis extrudere merces.
Romulus acri igitur tandem cor vt expleat aſtu,
Acciri iſta iubet ſpectacula ad alta Sabinos.;
Perq. illorum vrbes præco,perq. oppida cuncta
Clamores circùm toto tonat ore,tubaque,
Hæc vt cuncti adeant ſpectacula clara Sabini,
Conuocat,haud vllum certe potiunda per æuum,
Nec tam pulchra ſimul,tantoq. referta paratu.
Non eſt tantarum fraudum ſpe arrectus inani,
Illi vota nec euentu cecidere ſiniſtro,
Dum quater egit equos Titan per inane iugales,
Ac totidem ſolitis traiecit curſibus annos
A poſitis huius ROMANÆ mœnibus vrbis.
Ipſa dies aderat toti celeberrima ROMÆ,
ROMULUS & Conſi feſtum ſolemne colebat,
Neptunoq. ſeni ludos celebrabat equeſtres:
Non tam viſendi ſtudio alma propago Sabina
Circumfuſa ſacri fluit ad ſpectacula Conſi,
Quàm ſtudio morum;vt populo, regiq. faueret
ROMANO(quoniam non illuc ire vocatos,
Quis non degeneres animos,& corda putaret
ruſtica,& haud vllo ciuili prædita more?)
Se officijs quaſi deuinctos,meritiſque putabant,
Ob ſta tuas pario de marmore in Vrbe locatas:
Attamen ad ROMANA viam dum mœnia pergunt
Ex illis multi volucres videre rapaces,
Aſcalaphus quarum fertur ſumpſiſſe figuram,
Ante viam præter ſolitum vnguibus eſſe cruentis,
Atque graues præda tenues volitare per auras;
Non minus auditu, quàm formidabile viſu.
Pandebant etenim atra tenellis ora columbis,

Quæ moriturae inter pipilabant roſtra, ferúſq.
Spargebat vultur diuulſis aëra plumis.
O miſerum augurium fati,ſortiſq. futuræ:
Damma aliena etenim quando miſerentur euntes,
Non cernunt propriæ miſeranda pericula vitæ,
Seq. columbarum inſtar ad vnam tendere ſortem,
Ac miſeri ignorant quid lux hodierna minetur.
Sic, vbi præſagus quidam ora tenebat aruſpex
Alto fixa polo, ſpeculans cæleſtia ſigna,
Fertur in abruptas foueæ cecidiſſe latebras.
Felices animæ, ſi aliena pericula cautas
Feciſſent,eademq. ſecutæ haud amplius eſſent.
Sed pia fallaci gens inuitante Quirino,
Id, quod iter ſuſcepit,ei fera fata vetabant
Siſtere,ſe in cæcā haud meditanti immittere fraudē.
Non ſecus ac gelidi in gremioq. ſinuq. Comacli
Ignorat piſcis fœdæ ſe inferre paludi,
Qui fugit hinc inde ex latrantibus æquoris undis,
Quærens vnde miſer tutò ſe protegat antro,
Et caſu ſe ipſe in limoſo carcere claudit:
Intrà quē huc modò voluit aquas,modò neſcius illuc;
Cumq. per ingentes gyros errauerit anceps,
Se videt huc repetiſſe,prius diſceſſerat vndè;
Nec remeare datur,fluuius cum deſit aquarum:
Aut quoq. qualis erat, Circes qui tecta ſubebat
Semper ad ingreſſum fallax cui tota patebat,
Ianua,ad egreſſum clauſus ſed vecte manebat.
Non igitur mirum,ſi vrbem dum condere cœpit
Romulus, augurium biſſeno à vulture ſumpſit;
Cum foret ipſe quoque humana ſub imagine vultur.
Hinc aliquæ,quarum melior ſententia menti,

Iſta dabant roſeis inter ſe verba labellis :
Quid tot vulturij pandunt per nubila pennas?
Hos afferre malum dicunt mortalibus omen.
Hoc igitur placeat nobis retrocedere calle,
Noſter & vlterius ceſſet nunc ardor eundi.
Sed quia cunctarum ſic impia fata ferebant,
Sic illis aliqui iuuenes ſunt ore loquuti :
Talia nil nobis auium portenta nocere,
Ducere nec quemquam ad funeſta pericula poſſunt;
Atq. ſuperſtitio vana eſt his credere ſignis.
Quo monitu pergunt, cœtu comitante virorum,
Qui cum cincti omnes auratis enſibus irent,
Dum ſtabilis ſubiere patentia limina portæ,
Ianitor hæc illis reſonanti protulit ore :
Nulli intrare licet ſublimis moenia Romæ
Cum gladijs, aditusq; ferentibus arma negatur:
Vos illa haud foribus ſuſpendere tædeat ergò,
Vt ſint obſeruata verendi edicta ſenatus.
Quare his depoſuere omnes hortatibus enſes.
Tunc ita ſe intrepida iactabat voce Phylander:
Noſtra manet non in ſolis fiducia telis;
Eſt animus nobis gladio præſtantior omni,
Ac vires etiam pro armis geſtare ſolemus;
Atq. animis generoſis eſt audacia murus.
Non ideò inuiti noſtros deponimus enſes:
ſcimus & aduerſis obſiſtere rebus inermes.
Non fera diſpiciunt miſeri fallacis in imo
Gentis Romulidum quæ corde uenena latebant;
ſic vrbem ex tota accitas regione ſabina
Permiſere viris mixtas intrare puellas,
Maxima quas niueæ ornabat præſtantia formæ.

Quot ſolet ornamenta auroræ vultus habere,
Omnia virginibus cernendo fuere Sabinis.
Romulus interea, iuuenum ſtipante cohorte,
Conſpicitur, trabeaq; auroq. venire coruſcus:
Seq. locat claro in ſolio è regione theatri:
Conſedere ſenes pariter, patreſq. togati.
Romulus has conſpexit vbi tunc luce puellas,
Ordine quæ cunctæ ſimili, & grauitate manebant;
Vtq: auium vidit venientem ad rete cateruam,
Venator tacitum premit intus gaudia pectus:
Atq. auidus veluti ſublimi ex æthere miluus
Flectitur in gyrum, viſis forte vndiq; pullis,
Spem nutrit, paſcitq. prius fœda ora videndo,
Quàm celſum per inane illos rapido auferat vngue.
Regi forma nitens placuit, flauiq; capilli,
Quiue erat oris honos nulla fucatus ab arte:
Geſtit multa etiam fallaci corde reuoluens:
Nec ſecus illarum tenero flagrabat amore,
Quàm ſolet in canas fruges ardere fauilla:
Et quas optauit tanto feruore remotus,
Vix ibi præſentes credit, licet ante videret.
Has igitur cunctas poſtquam conſidere iuſsit
Sedibus in pictis per aperta tapetia circi,
Tunc tandem incipiunt exordia ſumere ludi,
Marmoreoq; dari ſpectacula læta theatro.
Ille locus quamuis miro ſplenderet honore,
Pulchraq; arena foret luxu redimita ſuperbo,
Penderentq; vago Babylonica picta colore
Aulæa, illarum at preſentia pulchra theatrum
Ornabat, miroſq; illi iungebat honores.
Scilicet ornat homo inſignis loca cuncta nitore,

Haudq. locis ornatur homo, ceu iura profantur.
Virgiueo aſpectu iucundior aura theatri
Redditur: almo id enim implebant fulgore puellæ,
Quarum lumina vt aſtra polo defixa micabant.
Multa nec hæ referunt inter ſe verba, ſed altis
Vultibus apparet veneranda modeſtia morum.
Lumina in aduerſos ludos dum fixa tenebant
Dumq. nihil timidum, quidquam nec triſte putabãt,
In medio plauſu pugilum dum lucta caleſcit,
Ecce repente tubæ rauco ſtrepuere tumultu,
Et mugire cohors, raptuſq. inferre propinquos
Cœpit, & horrenti confligere murmure terram;
Vt ſuper impoſita ante forum ſublime labantes
Iuncturas tabulata darent, crepitante ruina,
ſub quæ ſpectandi ſtudio pars magna manebat:
ſicut ſæpe ſolet ludis in talibus eſſe,
Certatim dum turba frequens ſuper aſtitit altis
Pontibus idcircò factis ex ilice ſecta.
Ac de more canum, qui aſſueti ſemper in ipſo
Venatu, lucos inter, monteſq; ſupinos,
Hi longe, lateq; auditis cornibus, omnes
Tunc ſubitò volitant auidi, gaudentq. potiri
Præda Romulidæ, ſecus haud inuadere viſi
Virgineum coetum, ſpreta pietate, fideq;
Numinis æterni, fecit dum buccina ſignum.
Hanc vbi perplexam fraudem ſenſere, quid ore
Implorant, voluuntq; ſuo ſub corde puellæ?
Ah quantum ſubitò facies menteſq; ſerenas
Omnes mutauere dolore, metuq; pudoris:
Qui fuit ante color roſeus tenebreſcere cœpit;
Ceu radios Titan quando inter nubila condit,

ſeu petit occaſum in freta equos Tarteſsia mergens;
Quantus & ah pallor formoſa per ora cucurrit,
Quantaq; cura ſui contingere coepit honoris.
Illis torpet enim gelido iam frigore ſanguis:
Et pauidæ licet inter atrox ſtent militis agmen,
Attamen, huc illuc tentant pede carpere curſum;
ſed fruſtra populo cinctas cum ſe vndiq; cernant.
Circumſtant homines ære, & mucrone ſuperbi,
Qui cincto quocumq; theatri fornice palmas
Inijciunt niueis amplexibus, vnde puellæ
Eximere à duris fruſtrà ſe velle lacertis
Conantur: quid enim poſſent cum talibus vnquam
Robuſtis moliri hæc mollia brachia palmis?
Interea optatæ dum intendit turma rapinæ,
Obuius ire parat tunc quiſq; ſabinus inermis,
Perq. vias, & vbiq. capeſſere ſaxa requirit,
Vt ſacra iura pudicitiæ defendere ſaxis
Poſſet, & incuſsis colaphis ſaltem, improba quando
ſors tunc non aliis facere id permiſerat armis.
ſaxa, manus, ungues, hæc tunc ſola arma ſabinis
Exiſtunt: tàm ergo in certamine diſpare, quis nam
Non cedet? licet Alcides foret, aſper, & Atlas,
ſiue ſuo pater armorum Mars ipſe furore,
Aut quicumq; atletha ferox terraq; mariq;,
Quis tantis obſtare dolis potuiſſet inermis?
Vincere Romanus potuit rex corpora tantùm
Proditor, at nunquam mentes ſuperare pudicas:
Miranda ſiquidem virtute, & laude puellæ
ſe monſtrant, & Amazonidum de more reſiſtunt.
Plus quàm foemineos animos ſpirare uidentur;
Ac raptim petiere aliquæ loca proxima ripis,
Temnen-

Temnenteſq. vagas flauentis Tibridis vndas,
Innarunt, mediumq. fugam tenuere per amnem
Tanta erat illarum celeris uiolentia curſus,
Vt celeres poſſent greſſu præuertere ceruos:
ſed ſunt parua quidem hæc, ſi auſis æquanda fuiſſent,
Quæ vigil Herſilia vna illis ex omnibus egit.
Egregium auſa viri facinus (mirabile dictu)
Nam ſe vltrò fingit venienti offerre Quiriti,
Atq. enſem lateri cinctum, quem raptor habebat,
Per capulum tanto ſtrinxit ſua dextra uigore,
Vt ſubito (teneræ virtus proh celſa puellæ)
Fulmineum eripiat uagina militis enſem,
Audeat inq. uirum, vt bellatrix, arma ciere,
Et palmam, quæ arcu, fundaq. ferocior omni
Raptandi ſtudio veniebat, & ocyor Euro
Vulneret ingenti iactu, penituſq. recidat,
quæ tremulis digitis per humũ ſe hinc inde mouebat
semianimis; veluti ſerpentis cauda cruenti,
quæ deciſa ſuo fruſtra ſe nectere quærit
Principio, in gyrum per arenam ſe vndiq. voluens.
Dum repetitq. feros ictus animoſa uirago,
Illi corde tenus uibrans proprium abdidit enſem;
Atq. armis illata ſuis eſt vulnera paſſus
Raptor: ſic rapiendo alios à morte rapaci
Pallentes Erebi infelix raptatur ad vndas:
Qui miſeram exhalans animam ſic uoce profatur:
Hoc doleo, heu fueram quando periturus in armis,
Tempus, & occiſorem alium non fata dediſſe.
Illa ſed huic illudens: quid tentare putaſti?
Improbe, ait, patere acta tuis fera vulnera telis.
Obſtupuere omnes, magnumq. dedere Quirites
Clamorem,

Clamorem,ſtrepitumq. grauem per celſa theatri
Limina,quin etiam tremuere cacumina circi.
Vix ad complexus accedere virginis audent,
Illam dum cernunt alij ſublata tenentem
Arma,ò carminibus verè memorabile factúm,
Sic præbere animos acri virtute viriles.
Non id Amazonidas credam tentaſſe puellas,
Nec ſimili facto ſe extollere poſſe Lacænas,
Harum ingens fuerit quamuis iam robur in armis.
Cunctos commouere viros hi virginis auſus:
Romulus ipſe quibus commotus pectore princeps,
Herſiliam elegit multis e millibus vnam:
Et licet horrendum vulnus cui infixerat, eſſet
Præcipuis vnus claræ ex primoribus aulæ,
Romanoq. foret regi vix carior alter,
Connubio tamen hanc iunxit, proprioq. Quirinus
Vinclo, non tali dignus conſorte potiri:
Digna ſed illa tamen patriæ quæ lætior eſſet
Imperio, ſociam haudq. tori quam raptor haberet.
Sergia ibi pariter pulcherrima virgo nitebat
Omnibus Italiæ longè prælata puellis:
Sol erat hæc inter cunctas,quas ſydera credas.
A multis ergò optatur, cingente caterna
Prædonum, qui iſta inter ſe pro virgine certant:
Verùm ne quis eam miles violare, nec eius
Audeat innocui diſſoluere iura pudoris;
Neue manus rapidas formoſæ imponere fronti,
Vni Talaſio tribuendam hanc eſſe puellam
Romulidæ ciues elata voce fatentur,
Idq. ſuo pariter clamabant ore viciſsim.
Sic ad Talaſium arguto clamore trahebant

Illam ſyderea fulgentem fronte puellam.
Atq. vbi peruenere ad eum,ſic ore profantur:
Inclyte vir,quandò facta eſt te conſule prę̨da,
Qua ſuper in noſtro feciſti verba ſenatu,
Virginei ecce tibi merito haud pars vltima cœtus,
Quæ tibi per populi tantos eſt ducta tumultus:
Vnde tuo abſtulimus vocitato hanc nomine natam.
Quare inſigne tuum decreuit Romulus ipſe
Perpetuò celebrari inter connubia nomen.
Priſci dum tædas etenim celebrare iugales
Romulidæ,thalamiſq. incumbere ritè volebant:
Talaſium perſæpe canora voce ſonabant,
Et poſitum eſt id connubiali in carmine nomen.
Poſtea Talaſius meritas pro munere grates
Reddere iure volens:dictis ſe talibus offert:
Quis mihi verba dabit? quis erit,qui noſtra replebit
Pectora florenti verborum copia,& arte
Fandi?Sed quoniam nequeo perſoluere grates,
Noſter blandus Hymen, tantum cui militat omne
Iſtud opus, faueat vobis,& ueſtra ſecundet
Orſa,diuq. frui placida det luminis aura:
Et cupidos vertens oculos in flaua puellæ
Tempora,quæ admirans feſtiuo eſt ore ſecutus:
O decus,atq. iubar,quo nil fulgentius vnquam
Alma dies aſpexit adhuc poſt condita mundi
Sæcula, non Helenam ille tibi conferre Pelaſgus
Audeat:at quid ego laudes celebrare ſupremas
Conor,cum tanto frontis fulgore niteſcas?
Felix ſemper ero quando mihi contigit vni
Ex cunctis generoſa tui præſtantia vultus.
Illa ſed effundens gemitus aſperrima deflet

Fata, vt tota Sabinorum genèroſa caterua
Fecit: quis verò luctus, lacrimaſq; parentum,
Et varios gemitus, tantoſq. referre dolores
Poſſet, & atroces cantu depromere curas?
Quæ fuit vrbs nuper lætis tam ſplendida ludis,
Nunc ludi, & luxus mutantur in horrida luctus
Spectra; Vrbs fœmineo ſiquidem clamore reſultat:
Sunt quoq. mille videnda feri ſimulacra doloris
Per fora, perq. vias, perq. omnia compita Romæ:
Et non abſq. ſimul miſerando angore queruntur,
Numina cuncta poli, ſuperoſq. in vota cientes;
Hinc illincq. ſuos vocitantes ore parentes:
Quæq. puella gemens verba inter ſingula matrem,
Matrem ſæpe iterat, quo acri ſtridore coactis
Lumine vix ſicco raptoribus eſſe licebat.
Quiq. adſunt triſti langueſcunt murmure patres,
Et ſeſe incuſant, quòd ita immiſere puellas
In rapidas hominum palmas, inq. ora luporum.
Vt ſcelus adiungat ſceleri audax Romulus, omnes
Præſentes rigida proſterni cæde Sabinos
Conſtituit crudeli animo, iuſsitq. patrandum,
Talia ne poſthac vlciſci crimina poſſent.
Illius ante pedes verùm pia conſtitit vxor
Herſilia, hiſq. illum blandis hortatibus orat:
Vir clemens noſtris ueniam concede ſabinis,
A quibus ulla tibi nunquam data damna fuere:
Romule conſortis, ſponſæq. tuæ aſpice queſtus,
Annue, ſi præbes huius mihi nominis vſum,
Et bene ſi mereo quidquam de te, exue mentem,
Velle necare patres nullo ſinè iure, ſed ira
Impulſum: atq. niſi innocuos ſeruare placebit,

Coniugio

Coniugis has ſaltem lacrimas miſerabere princeps.
Hæ lacrimæ extinguant incendia ſæua furoris,
Atq. uiros proprias permitte requirere terras,
Hac vel in vrbe frui vitali luminis aura.
Romulus vt tandem vxori indulgeret amatæ,
Confeſtim cunctos permiſit abire; ſed ante
Horrida tunc aduerſus eos ſua lumina figens,
Talibus illudit dictis: non poſſe negari
Num uidiſtis adhuc illud quod iure petebam?
Ite, & nunc thalamos tædaſq. negate iugales.
Has vbi deſeruere viri, qua mente putandum eſt
Permanſiſſe nurus, quantoſq. effundere queſtus?
Haud aliter clamatq: gemitq: ſub arbore turtur,
Dum ſe diſiunctum ſociali compare cernit.
Hi rediere domum attoniti, ceu fulmine ab alto
Quos ſine cæde dedit miſeros ſors improba tangi;
Nec verbum proferre quidem ſinit angor acerbus:
Torpet & ardenti os, & lingua retenta dolore:
Sed uacuas dum ædes, viduataq. tecta puellis
Conſpexere feris clamoribus illa replerunt.
Non ſecus ac lynces, ſeu tygres luſtra colentes,
Quos canibus rapidis imo venator ab antro
Acriter excuſſit teneris cum fœtibus; atq.
Illos diſperſit diuerſa repente per arua:
Dum ſera mater ſub nocte reuertitur, heu heu
Quos fundit gemitus, latebras dum cernit inanes,
Antraq. perluſtrans occulta, nec vndiq. amatos
Inuenit ipſa ſuos catulos, & pignora cara;
Sed ſparſam cernens rubicundo ſanguine terram,
Conqueritur, totoq. fremit crudeliter ore,
Et fremitu non reſponſura ibi pignora poſcit.

Corda Sabinorum tali transfixa dolore
Non poterant requiem capere, aut miteſcere fletu;
Atque parens ſua pignora nocte, dieq; vocabat.
Deinde domum repetens turbata fronte. Philander,
Per totum proclamat iter fera ſurgere fata;
Sæuã iterũ atq; iterum in ſortem fera iurgia iactãs
Impulſus mœrore graui: quid profuit vnquam
Virgineum ſeruaſſe, ait, intra tecta pudorem?
Cur ſeruaſſe diu ſtudio, curaq. ſagaci,
Et bene ſeruatus candor nunc obfuit illis?
Barbara ſi inſidijs proles ſic debuit vti?
Heu heu de veſtro quid erit candore puellæ,
Qui tantus fuit, vt laris interiora tenere
ſemper curæ eſſet uobis? immo arbitror ipſis
Vix famulis licuiſſe aſpectus cernere uéſtros
Pulchros, cum ante oculos velamen adeſſet honoris,
ſed nunc expoſitæ omnes præda Quiritibus eſtis.
Heu dolor, heu pietas, factumq. immaniter auſum;
O malè dilecta occultæ ſpectacula fraudis;
O nimis vrgenti noſtræ orta theatra ruinæ;
Veſtrorumq. pedum damnoſa licentia eundi.
Quæ vos conſilia, aut quæ vos fortuna puellæ,
Et quæ dira cöegere illuc tendere fata?
Ah cur non fregere meæ vltima ſtamina vitæ
Parcæ, me in cunis mater dum cara fouebat,
Ne triſti tantum perferrem corde dolorem?
O quam nunc cuperem Romam non iſſe puellas,
Illa vbi diuina eſt formoſi gratia vultus?
Celſaq. maieſtas, nunquam ſub litore Cypri
Viſa, nec in Delo, Rhenoq. Argoq. potenti,
Quo nam barbarico illa nitens poſſeſſa tyranno

Eſt ſpecies,aduerſo quæ ceu ſole colores
Conſpicuam aſsimilat celſis in nubibus Irim.
Quis niueos cernet dentes,flauoſq. capillos,
Eſt quorum color illuſtri præſtantior auro?
Heu niue candidiora quibus ſunt obſita palmis
Colla, genæq.; ſimul iucundo tincta colore
Labra,quibus fudiſſe roſas natura uidetur?
Atq. oculi ſtellarum inſtar, ſoliſq. micantes
Accendent heu cuius corda cupidine gentis;
qui caligantes poterant ex æthere nubes
Pellere turbato, atq. dies inferre ſerenos.
Melliflua illarum tandem quis murmura vocum
Audiet:atq: manus digitis comitantibus altis
Heu cui deinde fidem,& ſocialia foedera genti
Monſtrabunt:ipſiq: pedes per quæ alta Deorum
Tam delubra graui inceſſu, vt mos extitit,ibunt?
Heu dolor, ò vtinam noſtris in ſedibus iſta
Tot bona non eſſent vllo vnquam tempore viſa.
Hoc damnum Tatio quis tentet uoce referre?
quàm triſtes poſthac caſus Rex optimè Tati
Auribus accipies; ea non audacia cordi
Eſt; neq: tanta mihi vis, perferre iſtud vt auſim,
quin etiam interclnſa meis uox faucibus hæret;
Eumenides igitur, quæ crimina vindice poena
Plectitis: huc huc vos accedite, quæſo querelas
Exaudite meas,quæ corde oriuntur ab imo,
Ne ſufferte precor,noſtros uaneſcere fletus!
Romulus at ueluti tranfixit noſtra dolore
Corda,ita eumq.; ſuoſq. cruce affligatis eadem.
queſtibus his tandem patrias remeauit in oras:
Necnon prærupto cunctæ manſere puellæ

Cum

Cum fletu,atq. ululatu, ſollicitiſq. querelis ;
Nec ſinè luctiſono dudum ſtridore gemebant .
Quod ſolet eſſe alijs natura turpe,quis unquam
Crederet his pulchrum pallere fuiſſe puellis
Pulcher erat ſiquidem cunctarum in pectore pallor,
Dulcis & illarum caſtis in vultibus ira .
Pars manibus tentat flauos diuellere crines,
Auri qui lucent inſtar per eburnea colla,
Parſq. gemens etiam attonita cum mente ſedebat :
Altera moeſtifico celat velamine vultus,
Dilanians teneris pulcherrima pectora palmis :
Ad cælum horriſonos vlulatus altera mittit,
Atq. feris totam complet clamoribus vrbem.
Per nitidos ſolis radios quicumq. videbat
Naſcentes lacrimas,quæ humenti ex luce cadebant,
Non ſolùm vitreas per candida lilia guttas,
Cum de ſubluſtri ſtillat leuis imber olympo,
Quin etiam cryſtalla quidem,gemmaſq. putabat.
Aſperſaſq. genas,viuiſq. humoribus ora
Rubros cenſebat flores cum floribus albis
Mixtos,qui naſcente die maduere pruinis .
Limpido ab humore,à quo redditur alma venuſtas,
Gratia & augetur maior, quis crederet unquam
Proferri ignis opus, quod in horrida pectora ſerpit?
Ex fletu haurit amor flammas,(proh robur amoris,)
Cordaq. cuncta hominum in riuo ſuccendit aquarũ.
Romulus has igitur cupiens lenire dolentes,
(Credere ſi liceat) forſan miſeratus amaros
Fletus,ſiue eius potiùs ne crimen acerbent,
Cum iam non poſſet tantas perferre querelas,
Talibus inſolita quadam pietate coactus
Incipiens

Incipiens fari, dictis ſolatur amicis:
Quæ nam lugendi vobis tam ſæua cupido
Inceſsit, ſeu ueſtra graui cur corda premuntur
Moeſtitia? haud ſcitis quanta viuatis in vrbe?
Dilectæ gentes ne animo trepidate, ſed iſtis
Parcite iam quæsò lacrymis, moeſtoq. dolori:
Hos miſeros auferte metus, qui veſtra fatigant
Pectora, quin agite & mecum gaudete per æuum:
Maior enim lætandi hæc eſt, quàm cauſa dolendi.
Ne lacerate genas igitur, neu ſcindite flaua
Tempora, ſemper erit terra hæc gratiſsima vobis:
Non aliam certè perquirere poſſe licebit.
Sit procul ex animo natiuas rurſus in oras
Tendere, & ex noſtro diuertere limine greſſus,
Atq. Sabinorum poſthac agnoſcere campos;
Nos quoq. fulua monilia habemus, & aurea dona.
Hic quoq. gemmatos geſtare licebit amictus.
Ille ego Mauortis genus, ille ego conditor huiuſq;
Tam mirandæ vrbis, qui altas complexus habenas
Imperio, nutuq. rego ſceptra inclyta mundi;
Qui dudum populis leges, & iura peregi,
Necnon ſuſtinui furibunda uiriliter arma,
Ac domui gentem, noſtris quæ obſiſtere uotis
Eſt ſolita, atq. frequenter amicos ipſe beaui.
Hanc animam uobis, & opes ego deniq. cunctas
Romulus aduoueo nulli virtute ſecundus:
En vobis munimen ero, ſemperq. fauebo;
Hic vos connubio iungam cum gente potenti,
Quæ tota eſt auro, gemmiſq. opibusq. referta,
In quibus eſſe iubere uolo dotalia iura;
Prorſus vt egregiam poſsitis ducere prolem,

Et uobis uirtute pares proferre nepotes,
Carius haud quidquam eſſe poteſt mortalibus ægris,
quàm ſibi propagare genus, ſobolemq. perennem,
quæ decoret totum factis illuſtribus orbem.
quarè agite in noſtris hilares conſiſtite regnis.
Romulus his dictis miſerandum auertere fletum
Curat,& illarum querulum mulcere dolorem.
Cumq. propinquaret diffuſa micantibus aſtris
Nox,totuſq. polus,telluſq. nigreſceret vmbra,
Se referunt omnes in celſa palatia gentes,
Rex vbi mirando conuiuia pinguia luxu,
Egregiaſq. dapes læto haud ſine murmure præbet,
Confirmatq. pio pariter connubia ritu.
Dum pictis aurora comis ſurrexit ab ampla
Oceani ſede,& cælo ſe immiſit aperto,
Et roſeum retulit clara ſub imagine vultum,
quo caliganti tenebras ex orbe fugauit,
Effuditq. diem curru alta per aſtra citato,
Sollemnes Hymenæi alma celebrantur in vrbe;
Lintea virgineos velarunt flammea vultus,
Et ſua conſpicuis ornarunt pectora gemmis,
Ritè quibus claro ſtatuuntur prandia luxu:
Vndiq. enim componi farrea liba videntur,
Et de more dapes populo celebrantur ab omni,
qui lætas agitabat eburna ad plectra choræas,
Non ſinè iucundo plauſu, cantuq. ſonoro:
Regaleſq. epulas, Romanæ & gaudia gentis
Tunc ſeries clauſit feſtorum longa dierum.
Romulus ante omnes oſtendens lumine, & ore
Lætitiam, egregios plauſus per cuncta viarum
Strata iubet fieri, lætoſq. accendier ignes:

Plurima

Plurima procumbunt ideo nemora ardua Romæ,
Atq. ſuo uirides luci ſpoliantur amictu;
Stelliger vt crebris fulgeſceret ignibus æther
Nocturniq. foci fierent, qui ſigna referrent
Letitiæ, fauſtumq. darent nubentibus omen:
Ceu ſolet in claris mos regibus eſſe creandis,
Ac ſimul in magni celebrando principis ortu,
Quando multa ſolent ſuſpendi lumina noctu.
Sylua fuit Nymphis multos dilecta per annos,
Quam rigido nunquam ferro violare vetuſtas
Tentauit, ſed eam magno ſeruauit honore:
Nam Dryadum ramoſa domus, Phœbiq. ſororum
Eſſe ferebatur, circumfluus atq. calori
Riuulus inuitabat aquæ decedere gentes;
Vndaq. grata illuc paſtores ire iubebat,
Cum dulces vmbras ſummoto ſole referret,
Connexa cingens uiridantes arbore calles;
Nemò vt ibi molles non crederet eſſe Napæas,
Ac Dryadas: cuius celſis genus omne volantum
Aſsiduè eſt ſolitum modulando inſiſtere ramis;
Dulcis & aura ſuſurrabat, zephyriq. tepentes:
Multæ vbi virgultis ſtabant, folijſq. pudicis
Lauri, in virgineis thalamis frondeſcere dignæ:
Attamen hanc nemoroſam imo de ſtipite ſyluam
Romulus Iliades ferro procumbere mandat.
Moti at maieſtate loci tremuere coloni:
Nam vaga ſi forſan quaterent arbuſta ſecuri,
In ſua credebant rediturum corpora ferrum.
Senſit vt implicitos tali torpore colonos
Ad cupidum compellat opus ſic voce Quirinus:
Cur vos non lucum conſcinditis arbore plenum,

Ante pias aras Hymenæi vt ſacra litentur,
Noſtraq. promantur lætis vaga gaudia ſignis,
Atq. vt ſcintillet radiantibus ignibus æther?
Hunc ſcindi haud vſu in tali, caſuq. recuſo.
Si patet eſſe nefas, culpam mihi vertite ſoli.
Mandatis parere ſuis tunc turba libenter
Incipit, atq. repente operi ſe accingit; & ecce
Fraxineo miſerè triſtatur fraxinus ictu,
Et quercu percuſſa dabat ſuſpiria quercus,
Et lauri, albenteſq. aceres, ferulæq. labaſcunt.
Sic vbi conſpexere nemus, fleuere Napææ,
Ac flentes liquere ſimul dilecta locorum
Ocia, ſylua quibus migrantibus adgemit ipſa.
Tunc inter cunctas Dryadas non vltima tali
Voce Pales, queſtuq. vagas compleuit amaro
Auras, paſtorumq. ſuorum exaſperat agmen:
Iſta ne tanta tuo eſt audacia Romule cordi,
Tantaq. calliditas atro ſub pectore regnat?
Siccine tot ſanctos audes temerare Hymeneos,
Necnon ſic lauri frondes mutilare pudicas?
Connubijq. ſat eſſe putas ſub tegmine culpam
Condere, & hos auſus velle emendare iugali
Vinclo? morte priùs dignus, quam luminis aura es
Veſci vitali, & cælum, terramq. videre.
Sat graue crimen erat numquid te ſanguine fratris
Fœdari, imperij, regniq. libidine ductum?
Ah magis horrenti Plutone rapacior illo,
A quo ſola fuit Proſerpina rapta triformis,
Cum ſis innumeras auſus raptare puellas.
Non Paris, & Theſeus, nec atrox id fecit Achilles:
Hi tibi conferri nequeunt nam crimine tali

Fortè etiam ſuperas vrſoſq., lupoſq. rapaces,
Eſt natura quibus ventrem ſatiare rapina;
Cum fueris nutritus agreſti lacte ferarum:
Cum lupa ſpontè tuis admouerit vbera labris,
Hauſiſti mores ipſo cum lacte lupinos:
Hoc etenim natura facit, nutricis alumnum
Sic retinere ſuæ mores, vt prorſus eandem
Viuendi ſeriem ſemper videatur habere,
Et cum lacte ſimul ſimiles aſſumere ritus:
Ex quo non mirum eſt crimen quod tale patraſti.
At certè mirum eſt, magnus ſi Iuppiter olim
Archadico ora dedit regi, vultuſq. lupinos,
Quòd te nō ſimile in monſtrū quoq. Romule vertat.
Dædala cur tali Circe non tempore vixit,
Vt nunc te meritò vertiſſet in horrida monſtra,
Exemplum fraudis, prædandi & criminis auctor?
Per te Romana bacchatur in vrbe cupido:
O miſer, ò, ſemper curarum in pectore fluctus
Nocte, dieq. habiture: tibi namq. affore tempus
Cenſeo quamprimum, cum te hoc feciſſe pigebit,
Atq. sabinorum prolem haud tetigiſſe iuuabit.
Iuppiter altus enim, cælum qui fulmine torquet
Te bello horribilis populi vexabit, & armis,
Et dabit indignum funus ſpectare tuorum;
Nec tu, vt fortè putas, optata luce frueris;
Ante diem ſed eris truculenta morte peremptus:
Dum tu uerba dabis populis, terrore minaci,
Atq. fero tonitru e ſolio ſubreptus abibis:
Es raptor ſtygias ideò rapieris ad undas,
Marmoreoq. indignus eris poſt fata ſepulchro.
Ah quanto iſta tuis ſtabit uiolentia regnis;

Ah tibi quot video rigidas inſtare ruinas.
Criminis huius erunt vltricia numina cæli,
Intereà expectare potes miſerabile bellum,
Quod meritò referent populiq.; patreſq. Sabini.
Talia cum ergo Pales tunc indignata dediſſet,
Continuit, finemq. dedit, pauſamq. loquendi.

Finis Secundi Libri.

IN TERTIVM
SABINIADOS
LIBRVM ARGVMENTVM.

Titus Tatius, audito raptu, ira percitus bellū Romanis indicit, ipſomet pugnante vnà cū Metio Curtio militum duce: qui propè Romā caſtra poſuerunt, quò Tarpeia ſe conferens, promiſsionibus, vt Capitolium proderet, vbi manebat, corrupta eſt. Hæc igitur magicis artibus adhibitis in excubÿs ſoporandis, cum celebrarentur Palilia, monuit Sabinos; quibus nocte venientibus eſt aperta Ianua; ac ſic Capitolio potiti ſunt. Verum pœnas luit proditrix mulier: promiſſam. n. ſibi mercedem petens ſcutorum ictibus necata eſt ob bellicum furorem. Romani Capitolium recuperare conantur, quod Romulus ipſe ariete proſterni iuſsit, hoſtes expellendi cauſa. Quare Ophiaſus ſaxo ingenti ex arce demiſſo fregit arietē, & multis interfectis, ipſe etiā interimitur. Metius Curtius interfecit Hoſtum Hoſtiliū Ro. exercitus ducem, & vulnerauit L. Lucumonē Hetruſcū, virum fortiſſimum, & maxima molientē cū Vezzano eius comite. Illisq. ducibus ita aggreſsis, turbati Romani fugam arripuere; quos ſequens Metius Curtius illudebat: inter fugiendum labitur Felinarius, qui occiditur. Iouem Statorem orat Romulus, vt ſuorum fugam ſiſtat: tunc Iuppiter precibus motus Naiadibus iubet, vt feruenti aqua viam Sabinis intercludant: quo facto Metius Curtius in lacū proximū cum equo cecidit, ſed ſtrenue euaſit. Et cum ex utraq. parte ſtrages fieret, Sabinæ fœminæ ſe medias inter arma immittētes, pacem iniri cogūt: ſic ſolemniter pax ſancitur, cum pacto uiciſſim regnandi: ideò Romulus Sabinis conuiuium dedit: & inter comedendum adoleſcens pulſans lyram laudes pacis canit: Romulus vero Sabinis dixit, ſe velle vocari Quirinum a Curibus, & Romanos Quirites; et ab ipſorum inſignibus capiauit notas inſigniū populi Rom. & diuiſurus populum Ro. in xxx. tribus, voluit raptarum mulierum nomina in vrna ſortiri, & illis imponere,

HORA-

HORATII MASSARII
V. I. D.
SABINIADOS
LIBER TERTIVS.

ILla Sabinarum venit dum regis ad aures
Præda ferox,nuper Phrygio tentata Quirino,
Illius atroci irarum mens fluctuat æſtu,
In mille ob rabiem laxans ſæua ora tumultus:
Ceu ſolet iratus nautis ſe oſtendere pontus,
Dum tumidi aduerſo ſpirant in cardine venti:
Concutiens illuſtre caput,ſceptrumq. coruſcum,
Et ſolio ſurgens rabido ſic ore profatur:
Ergo ne gens noſtris illuſerit aduena regnis?
Ergo ne ſic diuum,atq. hominum pia fœdera tempſit
Illa feris dudum proles digniſsima flammis;
Nec fera ſydereum contorquet fulmina numen,
Nec ſimul horrenti tellus in nocte dehiſcit?
Auertant ſuperi,noſtro omnis nomine tellus
Plena hoc indignum facinus ne ſentiat vnquam,
Nec ſim regali poſthac ego ſtemmate dignus:
Amplius heroum proles nec nuncuper ipſe,
Tanta niſi meritas luat iſta audacia pœnas.
Hoc ſceptrum ſublime meum tueatur honorem,
Et genus inuiſum quatiat ceu malleus aſper.
Quiſquis es,ò prædo,eià metum eijce, viue libenter,
Siſte vereri aliquid:nam dira incendia belli

Mox inflabo, tuo tantum extinguenda cruore.
Hanc ipſe atroci conabor tergere ferro
Romulidum fraudem, facinuſq. refellere pœnis,
Ni fortaſſe meæ ſpatium fata impia vitæ
Diſcludant, ſi aliquod dent & mihi numina tempus.
Vos ne igitur ſuperi ſinite vt moriamur inulti:
Supplicium oro luant tali pro crimine dignum;
Ne gentes, homineſq. alii hæc exempla ſecuti,
Inficiant vitijs orbem: iſta moleſtia tantùm
Non Menelāē tibi incepit contingere ſoli,
Sed nobis etiam miſeranda ſorte Sabinis.
Nunc Vulcane tuos immitte Cyclopes in iſtas
Quæſo plagas, Aetnæ ſolitos inſtare caminis,
Vt mihi fatales cudant incudibus enſes,
Atq. mihi fabricent rutilantia forcipe tela,
Aereq. fulgentes clauas: vt ego Herculis inſtar,
Qui ſeptena Hydræ ferro, ac face colla peremit,
Sic quoq. raptores, qui habitant ſeptem ordine colles
Poſsim terrificis aliquandò abſumere flammis.
Meq., meoſq. etenim in rigidum iuſtiſsimus hoſtem
Fert furor, & digna ſuccendit Romulus ira
Hos, multoſq. alios: imo hos dans pectore queſtus,
Atq. furore tumens animos accendere bello
Curat, & arma uiris ualidis, ducibuſq; miniſtrat;
Eligit & ſocios omnes, qui neſcia vinci
Pectora habent: illos inter præſtantior omnes
Egregijs Metius perfulget Curtius armis,
Crine minax, uiſu placidus, ſed uiribus aſper,
Cunctorum domitor pugilum, aduerſi agminis vltor,
Hoſtiliſq. cateruæ immenſus terror, & horror;
Cuius corpus honor Mauortius ornat, & effert;

Ac

Ac librata eius generoſis tela lacertis
Plus quàm tormenta horreſcunt muralia turres.
Hoc exemplo animi acceduntur,& ardua tentant;
Mirum robur enim bello oſtendebat in omni:
Hunc ideò rerum Tatius vult eſſe magiſtrum,
Necnon eſſe ſuo cunctas ſub numine turmas,
Militiæq. dedit curam ſuper omnibus vni:
Quem generoſæ prolis auum moderator Olympi
Fecit,poſt ſancita habitantem fœdera ROMæ.
Duxit ab hoc etenim generis primordia clarus
Ille nepos factorum, & auiti nominis hæres,
Quem metus,atq. grauis diuum non terruit ira,
Sed facto egregio haud ſubijſſe voraginis atræ
Vir pius eſt veritus(ſuperis monitoribus)antrum,
Dum via ROMuleis reſtabat nulla ſalutis,
Vnius ni cæde tegatur aperta vorago.
Appius ille etiam ducens Herdonius agmen,
qui non detexit tantùm hac vice cordis honorem,
Aſt aliàs tranquilla quiritibus ocia rupit:
Cuius erunt memoranda alijs ingentia facta.
Totius hic igitur validæ pars magna cohortis,
Venerat haud dubius victrici fronde potiri,
Imperijs,ſpolijſq. vagis,clariſq. trophæis:
qui telis tanquam rupes immota reſiſtit,
Cum ſæuit Boreas violento in culmina flatu:
Non thoraca licet,galeamq. nec ille tuliſſet.
Huc,quoq. Pontidius magna cum gente fluebat,
Pars belli haud temnenda profectò gentibus vllis;
qui coram Tatio indutus rutilantibus armis,
Sæuo vectus equo incedens ſe talibus offert:
Hunc enſem generoſe Tati per ſydera cæli

Spondeo ab hoc latere armifero deponere nunquam,
Ipſe ego ni fodiam Romano pectora regi,
Atq. feris auibus linquam inſatiabile corpus;
Me magis hoc autem tantò vexatq., pigetq.,
Quod Romana propago rapax, totuſq. ſenatus
Vnum non habeat turgenti in corpore collum;
Vt ſubitò ſucciſum vno procumberet ictu:
Planicies at vbi apparent, campiq. patentes,
Me iuga corporibus cæſis ſpero ardua montis
Facturum: tanta eſt pugnandi in corde cupido.
Nec non Ophiaſus præſtanti robore clarus
Dehinc ſuperaduenit, qui inuicto pectore ſemper
Robur, virtutemq. ſuam patefecit in omni,
Qui quondam ſe illi bellorum obiecerat, vſu.
Non ego te florem procerum Philonarde relinquam,
Quem ſeptem nati ad bellum comitantur euntem,
Corpore ſat generoſo omnes, ſimileſq. parentis,
Armatæ cuius dextræ inſuperabile robur
Centenas Briarei potuiſſet vincere palmas.
Tu quoq. vir clare hęc properas ad bella Ruberte,
Qui ſemper micuiſti altæ virtutis honore
Euthimio ex quodam, vt fertur genitore creatus.
Heroes, proceresq. alij acri robore clari
Vndiq. concurrunt armis, haſtiſq. referti,
Cum galeis, criſtiſq. iubar ſpargentibus inſtar
Sole repercuſsi ſpeculi, hinc quod fulget, & inde.
Omnibus vna fuit ſectandi hæc arma voluntas.
Eſt vbi iam delecta cohors, populiq. parati
Viribus egregijs, Martiſq. cupidine ducti;
Quorum tale ſuperba auratum carmen habebant
Signa: Sabinorum Populis Quis Reſtitit vnquam?

Quatuor hæ fulſure notæ ante inſignia tantum,
Quæ flos,atq. decus iuuenum Sertorius acer
Explicat Herculeo formoſæ robore dextræ.
Romanæ Tatius tandem rex inclitus vrbi
Indicit bellum,atq. virilia nunciat arma:
Firmius ipſe ſuum nomen,quàm in marmore duro,
Aut ære æterno ſculpſit,facta ardua tanto
Conſilio,tantoq. animo dum tentat, & audet:
Scilicet vt fraudem referat pro fraude, doloq.,
Mente ſua Capitoli inuadere concipit arcem
Nocte ſub obſcura,tota ſimul vrbe potiri,
Hoſtibus vt poſsit meritas imponere pœnas;
Vtq. ſuam penitus mentem,atq. optata ſequatur,
Et ſibi fœlici alta cadant molimina ſorte;
Ducit ad irriguum fontem,vicinaq. Romæ
Stagna viros,fuluoq. armatas ære cateruas:
Denſa vbi ſylua viret plantis ſublimibus:in qua
Ex omni latere,atq. ex omni parte latendi
Cœcam ſtruxit opem natura,adituſq. malignos.
Hunc igitur Tatius præcingit milite fontem,
Quem latera vtrinq', & dumis,& ſepibus vrgent;
Se quoq. cum ſocijs curua ſub valle recondit.
Cumq. illuc mos nobilibus foret ire puellis,
Tanta trahebat enim gelidi præſtantia fontis,
Et per agros hac nulla ſalubrior vnda fluebat,
Huc vno Tarpæia die veſtigia preſsit,
Nomen herile ſonans genitoris, qui armiger arcis
Præſes erat,cuius totum ibat fama per orbem:
Illaq. dum properat, gelidos hauſtura liquores,
Et ſua dum circũm radiantia lumina vertit,
Vidit & horrentes armis aſtare cateruas,

Et conuerſa retrò Metium diſcurrere in ima
Valle,coruſcantes geſtantem vertice criſtas.
Obſtupuit,pauidæq. gelu riguere puellæ
Aurati crines, acri ceu Gorgone viſa;
Atq. ſuo multùm viſa eſt palleſcere vultu
Ob ducis aſpectum,fulgentiaq. arma virorum.
Ipſaq. tunc ſubitò,vt pelagi torpedine tacta,
Contraxit neruos,greſsuſq. repreſsit, & hæſit
Qualis vbi hirſutum nemora inter denſa viator
Fortè lupum vidit:cuius vox faucibus hæret.
Sic ea ſe monſtrat, fragiliſq. manu excidit vrna.
Dum nouus apparet formoſi pectoris albor,
Murmura naſcuntur,quiſq. olli lumina figit.
Sicut vbi ſi quandò rubent in nocte cometæ,
Aut ſydus,medium Titan cum illuminat orbem,
Inſolito ſplendore refulget in ætheris axe.
Viſendi ſtudio, quæ pulchra ſit aduena,currunt:
Quaue ſit vrgenti cauſa illuc tendere ducta;
Siue errore viæ,ſiue vt ſtagni hauriat vndas,
Ardenti ſtudio miniaq. cupidine flagrant;
Cui media acceſsus præbetur,iterq. per arma,
Purpurei ſubitò ad tentoria bellica regis.
Hic fari exhortatur eam,quo ſanguine creta,
Et quæ cauſa ſuos greſsus his applicet oris.
Sed ter erat conata loqui, ter molle labellum
Extulit,ac toties tremulis vox faucibus hæſit.
Tandem hiſcens, tales viſa eſt titubando loquelas
Promere:non me Tarpiæ de prole negabo,
Qui dudum ſtabilis Capitoli præſidet arci:
Cuius præclarum potuiſti agnoſcere nomen:
Splendida qui retulit toties ex hoſte trophæa,

Perq. tot eſt ſemper certamina martia ductus:
Atq. ego ſum Veſtæ, atq. Dialis flaminis aris
Dedita. magnanimus princeps dũ hęc auribus hauſit
Virgine cum tali inſidias tentare putauit,
Alto corde licet dudum perſiſteret anceps,
Talia nũm ſecreta forent muliebribus auſis
Committenda, tamen quia erant bona ſigna futuri
Finis, & illa videbatur diuinitus illuc
Greſſum direxiſſe, graues proponere technas
Rex ideò prudenti mente, & pectore tentat:
Quas uerſare velit cuncti exhortantur, & vrgent,
Et conantur eam nitidis peruertere donis.
Tales illa ſonos roſeo tunc ſubdidit ore:
Quomodò erunt pietas uiolanda, & cuncta paterni
Fœdera ſancta ſoli, atq. meorum nobile nomen
Proditionis erit labe infectum omne per æuum?
Hoſne dolos me forte viriles poſſe puellam,
Quæ tantùm ſum ſueta colo, verſare putatis?
Num patriã (ô immane nimis ſcelus, atq. nefandum)
Prodere ego tentem, aut eius grata otia rumpam?
Tanta meum labes genus haud foedabit inuſta.
Scitis enim tantò grauiorem exiſtere noxam,
Quantò qui culpæ ſuccumbit maior habetur:
Fallere deinde oculos, uigilis, curamq. parentis
Eſt durum, armatoſq. uiros admittere in arcem,
Difficile ignaram his ſe exponere velle periclis.
Talibus at Tatius perſuadet uocibus illi:
Eſſe ſcias firmo nil non ſuperabile cordi,
Et ſine non fiunt conamina magna periclis:
Crede puella mihi per magnæ altaria Veſtæ,
Hoc ſi opus euentu fueris molita ſecundo,

Semper eris felix,refereſq. ingentia dona:
Ornatuſq. vagos clypeorum,& cingula monſtrans,
Has tibi nobilibus gemmis, auroq. rubentes
Armillas,ait,ecce dabo,quas lumine cernis,
Noſtras egregio fulgore ornare ſiniſtras.
His igitur dictis, velut apta liqueſcere cera
Se monſtrat; nam promiſsis ingentibus heros
Sic labefactat eam,vt quodcumq. popoſcerat,ipſi
Annueret virgo, velutiq. poli Auſter in axe
Mollia dum ſurgit virgulta incuruat, & omnes
Flectit ad extremam frondes abſq. ordine terram;
Doni ſpes illam cunctos ſic flectit ad auſus.
Quod benè rex cernens eſt talia voce ſecutus:
O mihi ſpes dilecta nimis,nunc omnia verè
In manibus ſecreta tuis mea fata repono,
Si modò contingat Romana ſede potiri,
Romulidas ſæuos noſtris & ſubdere regnis,
Fœlix ſemper eris,magno & celebrabere honore,
Nilq. quod optabis, poterit tibi iure negari.
Sæpe tuo poteris gemmata monilia collo
Nectere,ſæpe caput nitidis ornare lapillis,
Cingere & aurato formoſum pectus amictu,
Et chlamyde inſigni, qualem fert fama tuliſſe
Iunonem,biiugum vellet dum ſcandere currum.
Maxima ſemper erunt tibi dona, meoq. nepoti,
Si viſum fuerit tibi,eris cariſsima coniux.
Atq. duces alij pariter ſe magna daturos
Iactabant. uanis ætas heu lubrica rebus:
Promiſsis etenim infelix Tarpeia mouetur;
Præponitq. ſuæ fallacia munera famæ;
Non ſecus atq. Eriphyle olim ſe perfida geſsit.

Huius tanta cupido coëgit pectus habendi,
Diraq. auarities robur ſic abſtulit omne
Mentis, vt audaci tales daret ore loquelas:
Numina ſæpè quidem, diuoſq. precabor olympi
Romulea vltores ſuperetis vt arma Sabini:
Sum ſiquidem veſtras dudum miſerata puellas,
In quas eſt tam illata ferox iniuria raptus.
Quare ego non mandata faceſſere veſtra recuſo;
Hæc mea ſed vobis erit obſequioſa voluntas,
Semper & auxilium ſum ferre parata Sabinis.
Romulidum vigiles ſomno ſopire meorum,
Excubiaſq. graui conamine fallere nitar;
Vtq. mihi euentu contingant cœpta ſecundo:
Eſt mulier conſumpta ætate, & anilibus annis,
Se mihi amicitiæ quæ monſtrat fœdere iunctam,
Cui benè ſunt noti cantuſq., arteſq. magorum:
Succis decoctis etenim, atq. potentibus herbis
Quemlibet ipſa poteſt ſomno ſopire tenaci:
Ex qua depoſcam facientia gramina ſomnos,
Ac repetens Vrbem his libandam ex fontibus vndã
Inficiam, & qui vrnæ lateant in parte profunda
Adijciam validos trito cum puluere ſuccos.
Nec cœptum remorata, magam mox perfida raptim
Conuenit, infauſto ac tetigit dum ſordida greſſu
Limina, confeſtim dicta, acceptaq. ſalute,
Ima domus petiere ſimul penetralia, & illa
Oro, ait, vt rerum tu aliquid mihi dogma tuarum
Tradas, quod ſomnum mortalibus inferat ægris.
Si fuerit tibi, vt ipſa puto, vllo tempore forſan
Quidquam dulce meum, quæſo dilectã virago
Nunc liceat penitus meritorum effundere habenas,

Et nunc adiutrix venias mihi; quæ arte potenti
Lumina cuncta hebetare vales, & cogere falli
Iudicium quodcumq., ipſas quoq. vertere mentes;
Daſq. aliter quàm ſunt ſpectantibus acta videri:
Scilicet ipſa leui noſti dare pondera fumo,
Atq. trahi meſſes, ac turbida nubila, & imbres,
Infernaſq. canes, & monſtra ferocia verbis,
Fulguraq. inducis celſum per inanè, fugaſq.
Viperea; & rumpis fatali guttura cantu.
Nunc opus arte tua eſt; ſiquidem nimis ardua tento,
Et minus apta meæ ſorti, & iuuenilibus annis.
Hoc te quid cogit petijſſe? venefica dixit,
Dic mihi quæsò, tui huius ego vt ſim conſcia cœpti.
Tarpeia at contra: quæſò ne talia quære,
Fata vetant fari, atq. meæ reuerentia famæ.
Tunc anus annoſa illius penetralia cordis
Impugnari auido fortaſsè putauit amore:
Velle petita ideò, vt vetito potis eſſet amori
Tutius indulgere aliquæ vt fecere puellæ.
Mota ſed his precibus Tarpeiæ illa annuit, atrum
Nec mora ſuccum, herbamq. venefica præbuit ipſi:
Quæ non excubijs tantùm, at ſimul omnibus Argi
Irriguum poſſent oculis inferre ſoporem.
Intereà cum eſſent celebranda Palilia Romæ.
A Pale nomen habent hæc: nam per carmina læta
Tunc te diua vocant populi, ac tibi munera præbent,
Lætaq. ſuſpendunt oſcilla ſub arbore fagi,
Quam pede conſcendunt, libantes plurima lactis
Pocula; & humentes Baccho celebrantq., litantq.
Agreſti ritu, & cultu ſollemnia ſacra.
Te propter, montana Pales, non omine dextro

Hi feſti venere dies: nam auerſa Quirino
Mēs tibi erat, vulſam ob quondā imo à ſtipite ſyluā.
Ergò dies aderant, totam quos rite per vrbem
Priſci Romulidum populi celebrare ſolebant,
Lætitiæ veteris memores, plauſuſq. diei,
Quo Romanæ vrbis cœpere exordia muri:
Excubias laxare dedit tunc Romulus omnes,
Immuneſq. operum cunctas dedit eſſe cateruas,
Belligeroſq. animos placidæ indulgere quieti,
Perq. dies aliquos arma egit in ocia ſolui.
Hoc Tarpeia videns extemplò cogitat hoſtem
Rurſus adire, viamq. citato ibi carpere greſſu:
Sic fallax egreſſa repente eſt ſedibus arcis,
Atq. viæ cauſam eſſe hauſtus ſimulauit aquarum,
Pluraq. multarum fingit mendacia rerum;
Solaq. per tacitos colles procul ibat ab vrbe.
Cominus vt ſubitò Tatius, ſociiq. puellam
Ex altò quodam venientem colle, viaq.
Feſtino properare gradu aſpexere, cateruæ
Occurrunt illi fraudeſq., doloſq. ferenti,
Et cupiunt omnes audire, quid afferat ore;
Attentas adhibent aures, galeæq. relaxant
Spiramenta anguſta, ſimulq. cupidine muſſant.
Torua ſed huc illuc virgo ſua lumina voluit,
In parteſq. rapit varias: dein talibus infit;
Somnifer ecce mihi noſtros datus aptus ad auſus
Puluis, cuius ope excubias nunc fortè licebit
Sopire: exigui vobis ſolaminis iſtud
Nactos officium eſſe meum non credo futurum.
O dilectæ acies aptum eſt nunc tempus, in vrbem
Vos reor abſq. venire aliqua formidine poſſe:

Rara etenim vallo vigilat cuſtodia,& alta
Tecta patent,raroq. domus cuſtode tenetur,
Ac terit in vanos tantùm gens ocia luſus:
Namq. dedit turmas deſiſtere Romulus armis;
Vt vaga concelebrent conuiuia, & annua ſacra;
Et vetat his feſtis arma exercere diebus.
Fabor & vlterius quantum reor eſſe tenendum:
Cum vos Romuleam cuncti pergetis ad vrbem,
Carpere frondoſi collis iuga celſa poteſtis:
Tutior illa profectò mihi via ab hoſte videtur:
Cum grege ſæpe frequẽtat enim loca cætera paſtor.
Pandit & omne pugil quidquid Romanus agebat;
Atq. ſtatus rerum longo ordine detegit omnes;
Multaq. muniti prodit ſecreta parentis:
Atq. ab ea tandem cunctæ explorantur eundæ,
Vitandæq. viæ Tatio,cupidiſq. Sabinis:
Allatamq. replens lymphis ſcatentibus vrnam,
Miſcet ibi audenter ſtillata papauera, & inquit:
Ipſa libenter eo magico confiſa liquori:
Atq. repente gradum ad Capitoli dirigit arcem,
Fallendi ſtudio veluti promiſerat ante.
Blandior ac ſolitò cum ſeſe immittit in arcem,
Sex iuuenes,quorum ſub cura nocte ſilenti
Præſidium arcis erat,fatis cogentibus, vltrò
Tarpeiæ ex vrna lymphas haurire requirunt.
Tempus erat ſiquidem,quò præueniente calore
Accelerata vices veris ſibi ſumpſerat æſtas,
Quoq. ſolet lymphæ potus iucundior eſſe,
Vt ſitis ardorem,raucumq. refrigeret æſtum.
Vix ſummo imbutum tetigerunt ore liquorem,
Quin ſopor attonitos lentus ſubitò occupet artus,

Et ſenſu languente, viri vltro citroq. recumbunt.
Cum tenebræ intereà tegerent caligine terras,
Dum pecudes, hominesq. ſilent, dum deuia bubo
Solus adit, tepidumq. ſuis ſecat aëra pennis:
Ecce ſabinorum, tetricæq. propaginis agmen,
Quod Tatius, Metiuſq. Quiritum ad mœnia ducunt.
Quò donec tenuere viam, tunc ore tonanti
Ad rerum Tatius magnarum concitat auſus,
Talibus accendens interrita pectora dictis:
Iam propè tempus adeſt, ſocij, depromere totum,
Quod munit veſtra Herculeum præcordia robur;
Eſte hilares igitur: vobis nam mollior aura
Bellonæ veniet, veſtroq. afflabit honori.
Premia & huic ſpondet, celſos huic ſpondet honores:
Hũc ſpe, aſt hũc virtute alacri, hũc quoq. laudis amo-
Hũc ſtudio vindictæ, ob iurgia facta puellis, (ré,
Ad graue Martis opus verbis compellat amicis.
Cumq. propinquarent arua ad Romana Sabini,
Atq. per occultos premerent veſtigia calles,
Immanis Tarpeia velut detexerat illis,
Per loca tranſibant omnes ignota uiarum,
Et viridis ſyluæ compendia torta legebant.
Se quoq. magnanima in facta hortabantur, & arma,
Vnanimes gaudent, nigras noctiſq. per umbras
Tecta inimica petunt, & nulla pericula abhorrent.
Mœnia dum ſubeunt, ſtrepitu, & ſermone remoto,
Hi vocem digitis halitumq. in corde premebant.
Qualis vbi explorat venator lumine ceruum,
Ac videt in prato recubantem carpere ſomnum;
Omnia qui circùm pratum veſtigia luſtrat,
Et graditur paulatim æquatis cornibus arcus:

Illum ſolerti circundans arte per herbas,
Perq. altas cupiens furtim ſe abſcondere ſepes;
Vt ceruum ſternat tandem ictu tempore capto:
Non ſecus incedunt illi, dum tecta iacentum,
Atq. ſoporatis malefidam gentibus arcem
Conantur gladijs inuadere, & arte doloſa.
Aſt vbi gens arcem tetigit, fortiſsima cuius
Ianua ſemper erat duplicis clauſa obijce vectis:
Quam ferus Alcides in humum proſtrare nequiſſet,
Nec vis nec ferrum, delibratuſq. Cyclopum
Malleus, hic Tatius cum ampla legione virorum
Conſtitit, atq. ſuos poſuit propè limina greſſus.
Poſt data polliciti reſonantia ſibila ſigni,
Tarpeiæ ſubitò reſupinat dextera ualuas;
Tamq. ſimul tacitè poſtes vertebat ahenos;
Vt nil Romulidæ poſſent audire fragoris,
Inuaditq. arcem miles, populuſq. ſabinus.
Ceu caput undarum ſtridens dum erumpit aperto
Obijce, dum grauibus pluuijs, atq. imbribus actis
Cernimus omnino terram vaſtare potentem;
præcipitiq. furore reuoluere id omne, quod obſtat:
Ingreſſu haud aliter Tatius, ſocijq. videntur:
Turbida quin etiam tempeſtas, atq. procella
Tardior, & nymbus celſis de montibus exit;
Aut fulgur, quòd ſæpe ſolet confligere turres;
Telluriſue tremor, qui orbem terroribus implet.
Hæc ſunt parua quidem illorum ſimulacra furoris:
Arce potiti etenim primos dant ſternere ferro;
Atq. ita multiuago conſpergitur aula cruore;
Vt veniente die fuſo mage ſanguine muri,
Quàm picta rubuiſſe videntur purpura, & oſtro.

Romulidæ uigilare olim,ludoq. ſolebant
Excubiæ numquam immunes traducere noctes;
Sed tunc Tarpeiæ cogente liquore iacebant:
Felices ni etiam ludo nox illa vacaſſet,
Niq. exuta armis,blandoq. immerſa ſopori.
Nam facilè opprimitur ſomni dulcedine captus;
Scilicet haud longè diſtant à morte ſopores.
Ah,ſcelus immane,infanda pro cæde parentum
Quærere mercedem minimè Tarpeia veretur,
Præſumitq. doli,fraudiſq. expoſcere munus.
An dubitatis,ait, promiſsis eſſe manendum?
Magna peto,proceres,meritis at debita noſtris:
Soluite,& egregium ob facinus date digna peractū
Munera:num veſtras cepere obliuia mentes?
Nonne mihi,quæ ornât validos decora alta lacertos
Singula debentur? dum infelix talibus inſtat,
Atq. ea dum fatur: Tatius contrà irruit illam;
Qui tunc ſubridens ardenti excanduit ira,
Irridens miſeram: quod aues ſum ſpontè daturus,
Sed quæ digna tibi ò mulier,quæ præmia ſoluam?
Noſtra ſub ancipiti facta eſt promiſsio ſenſū:
Sic ſua ſæpe viris reddunt oracula Diui.
Ergo quid moritura petis?nunc digna nefandæ
Proditionis habe,atq. cape hæc,quæ dona moraris.
Dixit: & extollens clypeum olli in lumina torſit;
Quò ſubito mulier iactu reſupina recumbit.
Non ſecus ac niueum flectens caput imbre liguſtum,
Et velut ille puer,diſci quem perculit error,
Sic illam Tatius promiſſo munere penſat
Iure,velut plures alij fecere,tegentes
Aeratis clypeis formoſæ membra puellæ.

Corporis ad damnum protecti aſt illa fuerunt
Tegmina,non ſolitus clypeorum hic extitit vſus.
Ex quibus hærentem capiti fecere coronam;
Cum qua tam dirum mulier fera carpere ſomnum
cogitur,vt nullo expergiſci tempore poſsit,
Atq. illam poſtquam crudeli cæde necarunt,
Aggreditur tali ratius tunc uoce ſodales:
Huius non aliter meruerunt facta puellæ:
In prauis nam aſſueta dolis,& fraude, uerendum,
Ne quidquam nobis etiam mox tale referret.
Externis quid enim facturam hanc eſſe putandum,
Ipſi cum fuerit blando malefida parenti?
Quodue ſemel fecit,cur non quoq. perfida rurſus
Feciſſet? voce hac audita principis alti
A tyrone,quia aſpiciebat eam eſſe peremptam
Ictu aliorum,etiam illa ſuo ne intacta maneret,
Tarpeiæ ſublime caput rigido abſtulit enſe,
Arcis & ante fores muro præfixit in alto:
Quod vigil aſpiciens princeps ait:ite repente,
Ne feritas id opus videatur,ponite carmen:
Talia cur noſtrum clypeatum geſſerit agmen:
Ponite Romulidis, proprijſq. parentibus illam
Proditione fuiſſe truci, patriæq. rebellem.
Sic miſera eſt primos belli perſpeſſa furores;
Digna tamen tanto fuerat ſed crimine merces,
Ac meritum dederat tanto ſceleri hoſtis honorem.
Hoc expoſcit enim legum veneranda poteſtas,
Ne ſeruetur ei æqua fides,qui fœdera temnit,
Frangentiq. fidem, ipſe vt ei frangatur oportet.
Hinc genus ò mortale fidem ſeruare memento,
Sit neq. mens unquam tales innectere fraudes.

Namq. licet facinus graue proditionis ametur,
Proditor at ſemper terræ, cæloq. potenti
Se facit inuiſum, inq. ſuam vitam excitat iras.
Gens igitur, toto proflat quæ pectore ſomnum,
Cum foret ob tantos excuſſa ſopore tumultus,
Surgit, & horreſcens ſtratis è mollibus exit.
Latè circumfuſa ruens hinc inde pererrat:
quiq. viri in Capitolina tunc arce manebant,
Pertentant manibus cæca nocte horrida tela:
Arma petunt verùm fruſtrà: nam feruidus illis
Viribus, atq. face, & ferro ſupereminet hoſtis,
Cuius diri enſes paſsim maduere cruore.
Acriter incipiunt montes reſonare propinqui
Ventorum ex ſonitu funeſta nocte furentum,
Atq. ex tot pariter clamoribus undiq. fuſis:
Syluarumq. fragor terrorem dupplicat, atq.
Luctiuagos auget fletus, & murmur acerbum.
Horrendum quidquam nocti non defuit illi,
Quod ſeu fortè oculis poſsit, ſiue auribus vſquam
Incutere, atrocemq. animis inferre timorem.
Latratumq. canum lethalis concitat horror,
Plurima & humanæ auditur diſcordia vocis.
Facta ibi tam generoſa fuiſſent digna nitenti
Omnia ſole, ſimul pleno aſpicienda theatro,
Non quæ ſic gremio, & nigro celaret amictu
Eumenidum mater: ſiquidē haud temnenda propago
Tunc Orco fuit à Tetricis immiſſa ſabinis.
Hic Tarpeius erat præſes clariſsimus arcis,
Qui uix excutitur ſomno, quin lumina rurſus
Claudere perpetua infelix ſit nocte coactus:
Cui femur vt transfixit acuto Herdonius enſe,

Continuò trepidans telluri allidïtur ipſi,
quàm rigat os nigro fœdans, humeroſq. cruore.
Patritio Nereus Briganti Octauius haſta
Et Pergentippo vitam Soprantius aufert.
Tu quoq. Ranuti, cuius ſub vertice ſummo
Bracteolæ cum altis pendebant vndiq. criſtis;
Sit teſtis rerum, miles generoſe, tuarum
Ille tuus gladius rubicundo ſanguine tinctus.
Romulidas quotcumq. notas, vno atteris ictu:
Cuius adhuc deducti iſta in regione nepotes
Stant aliqui, fortaſsè tua de ſtirpe uetuſta,
Turma Sabina licèt muros, arcemq. teneret;
Vix tamen expulerat ſtellas Tithonia coniux,
Et vix ſunt reſerata vagi radiantia Phœbi
Lumina, nocturna en tremefactis cæde cateruis
Romulidum redeunt uires, animiq., minæq.;
Celſaq. defendunt tecta, atq. ferocius obſtant;
Nam veniente die ignauum poſuere timorem.
Poſt hyemem duram vt renouari cernitur anguis;
Sic quoq. poſt rigidam noctem Romana iuuentus
Robore maiori, numeroq., animoq. refulget.
Non prius una ſabinorum manus ardua ab altis
Tunc deſcendit equis, phaleris, loriſq. coruſcis,
Arcis quàm repetendæ ira, atq. cupidine ducti
Cuncti aduerſus eam fortes ſubiere Quirites;
Quam rapido conamine, & arte reſumere, & aſtu
Certant, atq. Sabini illam defendere contrà.
Magnos telorum nymbos hinc indè deorſum,
Nec non ſaxorum pariter genus omne vibrantes;
Romulidum licèt haud eſſet gens tarda pharetris;
Vix ad ſumma tamen poterant faſtigia turris

Ex imo vibrata ſolo ſe extollere tela.
Romulus hoſtilem cupiens expellere gentem.
Iuſsit ibi tormentum ingens murale parari.
Machina, quæ ratis eſt formata ſimillima malo:
Cuius non modico glomeratur pondere ferri
Vertex, & balantis habet formam arietis: vndè
Nomen habet, mediumq. trabem inter, fune ſub alto
Pendet, non librata ſecus, quàm pondera lancis,
Dumq. manus multa hâc iuuenũq., ſenumq. repellit,
Torquet, & immani diſrumpit mœnia fronte:
Cornibus haud aliter quàm aries decertat agreſtis,
Si quandò ille furore tumeſcit & acribus iris.
Sint quamuis validæ turres, ſint mœnia celſa
Quæ primis obſtent feliciter ictibus, illa
Attamen aſsiduis tandem ſuccumbere oportet.
Id non abſq. dolore tamen Romæ auctor agebat:
Namq. ſuam contra tentare pericula turrim
Se videt impulſum rigido diſcriminis vſu:
Qui tali ſocios ſtimulabat voce ſuperba:
O ciues Capitolinam nunc ſternite turrim,
Haud aliter quandò his tectis depellere ſtirpem
Poſſumus inuiſam, atq. ſabinorum agmen iniquum,
ſternere non vſu in ſimili, caſuq. recuſo.
Attamen ex imo non talia corde ferebat,
Aſt vt belligeros expelleret inde ſabinos;
Id ſatis eſſe putans, tantos vt Martis alumnos
Terreat, haud noſcens illorum interrita corda.
Voluere non ideò ceſſabant ſaxa ſabini,
In nubeſq. ſimul validas torquere ſagittas.
Vmbratur denſo telorum turbine cælum,
Saxaq. nec primos tantum quibus obuia currunt,

Quin etiam interdum feriunt,perimuntq. ſecundos;
Vis erat hirſutis iacientum tanta lacertis;
Tam quoq. mittebant vaſtos tormenta molares,
Vt caput egregij iuuenis (mirabile dictu)
sit de ſanguinea penitus ceruice reuulſum,
Quod cinctum galea medios volitabat in hoſtes:
Percutiens alios vibrati marmoris inſtar,
Quod miſſum ex funda manibus,vlniſq. rotatur.
Ophiaſus reliquos inter fortiſsimus omnes,
Cui diues genitor fertur Copertius heros,
In rigido quamuis eſſet certamine tyro,
Nobile ſed facinus magno molitur honore,
quod nullo memori ſileatur tempore dignum.
Atq. ego ſi quidquam calamo me poſſe viderem,
Inter nobiliora ducum monimenta locarem,
Inter & ingenia hunc iuuenem potiora referrem,
sanguine quæ claro quondam ſunt creta sabino.
Viſus hic eſt immane graui cum pondere ſaxum
Altè ſublatum tanta vi, & robore dextræ
Contorſiſſe ſuper delatæ bellica molis
Tormenta,vt ſubitò illius ſublime cacumen
Frangeret;atq. repentè moras perrumperet,atq.
Egreſsus de more ferocis ab arce leonis,
Curreret in mediæ præceps incendia pugnæ,
Inq. feros non abſq. auſis præſtantibus hoſtes:
Nonnulliq. alij, virtus quibus æmula feruet,
sunt animo pariter generoſo hunc ſponte ſecuti.
Inter quos Philibertus erat virtute paterna
Notus,& ante alios celebrandus origine prolis;
Alta è ſtirpe domoq. sabella ſcilicet ortum
Duxit honoratum(ſi rite audita recordor)
sed magis intrepidus nudo omnibus enſe minatur.

Ophiaſus,cuius paſcuntur corda furore.
Non ſecus Alecto duras agitare catenas
Per ſtigij nigras erebi ſolet vndiq. ſedes,
Dum furit in manes manibus,atq. vnguibus atris,
Illorum immanis quatiens crudeliter artus;
Sic furit hic nulla mortis formidine preſsus.
Nam multos mutilauit, & Orci miſit ad vmbras,
Inq. fugam innumeros dedit,ac ſua vertere terga;
Diffractumq. manu rapuit caput arietis,atq.
Eripiens illud muro defixit in alto:
Quò velut ad rectũ ſua tela ſcopum horrida uibrat,
ſperneret vt gentem,& Romano illuderet hoſti.
Viribus illius cuncti terrentur, & auſis:
Verùm deindè virum contraria fata ſequuntur,
Non ſecus ac virtutis, honoriſq. æmula, quorum
Nulli poſſe datur diros euadere iactus:
Dum ſiquidem hũc clypeus,thoraxq. tegebat, & eſſet
Ingenti Armorum,atq. animi quoq. robore ſeptus;
Nec non illius muniret tempora caſsis,
Inter ſpiramenta tamen,galeæq. per imas
Oras ancipiti caſu(ceu fata trahebant)
Telum infertur Achæmenijs inſigne venenis,
Quod licet extemplò ceruicibus hæſerit altis,
Attamen haud primùm cecidit,quàm fortiter enſem
Figeret in multos,tanquam pro limite rerum.
Qualis in Alpino robuſta cacumine quercus,
Quæ Boreæ,ſæuiq. Auſtri diſcrimina temſit,
Turbinis inſoliti tandem ſi frangitur ictu,
Vndiq. fert rapidam arboribus,plantiſq. ruinam;
Sic rigido cadit Ophiaſus ſuperante dolore,
Cui furor audaci tantus ſub pectore feruet.

Dignus tam generoſo etenim hic eſt milite finis,
Vt ferat ingentes ipſa cum morte ruinas.
Quis fatum at verbis non compellabit acerbis,
Heroum velut inuideat præſtantibus auſis,
Officiatq. viris? (iſtud ſi forte liceret
Dicere.) at æternum quiſnam totius honorem
Vitæ haud eſſe videt generoſo occumbere letho?
Interea poſtquam amiſſam infeliciter arcem
ſub ſua Romulidæ haud potuere reducere ſigna,
Non ceſſant tela, atq. ingentia voluere ſaxa:
Atq. vtriuſq. duces partis fera bella ciere.
ſed Tatius virtute omnes excellit, & arte;
Et ſolo aſpectu furibundos territat hoſtes.
Ductor at Hoſtilius peditumq., equitumq. quiritum,
Cui licet aſpectu in rabido ferus horror ineſſet,
Horrorem tamen huic addunt geſtamina, & arma:
Perfulgebat enim in nitida galea aurea fronte,
Flammigeris ornata ſuper vaga culmina criſtis;
Nec temnenda leonis imago ibi guttura pandit,
Hoſtibus expanſo videatur vt ore minari,
Cuius dextra ducis longam tam fortiter haſtam
Vibrat in Acronem, vt galeæ ardua cingula rumpēs
Denudetq. caput, terræ hæreſcatq. cadendo:
Atq. ita detectus non læſa fronte remanſit
Acron, quem Hoſtilius mordaci voce laceſsit,
Talibus illudens: nunc coram exiſtere nobis
Non niſi detecto fas eſt tibi vertice: namq.
Debetur noſtris reuerentia vultibus ingens.
Nec videt infelix quæ nam fortuna ſequatur,
Et quam ſint peritura leui ſua gaudia vento:
Si noſſet, nunquam foret iſta profarier auſus:
Qui licet, vt voluit, multos contorſerit ....

Gabbiniumq. neci,& Ruffum, Vgonemq. cruentæ
Tradiderit, multos miſerando vulnere fœdans
Aſſuetuſq., diu licet in ſudoribus eſſet,
Induraſſet & armorum ſua pondere membra,
Sub Ioue & algenti noctes, imbreſq. tuliſſet
Stramine proiectus duro, expoſituſq. periclis;
Verùm res animo longè penſabat iniquo
Romanas, aliter, quàm vſus, tempuſq. ferebat.
Inſurgens in eum Tatius vi, auſuq. feroci,
Fulminei dum enſis penetrabile vibrat acumen,
Lethi ferum dat ei momento vulnus eodem.
Et licèt orbatum vita ſe noſceret eſſe
Hoſtilius; mortemq. per omnia ſerpere membra,
Nulla tamen moriens mœroris ſigna ferebat;
Hoſtibus at rabida voce,& clamore minatur:
Ceu ſi quid modicum forſan linquatur in ima
Parte cadi, fit id acre merum, nec potibus aptum;
Sic ille exhauſtum quando ſe ſanguine cernit,
Ac propè ſupremam vitæ pertingere metam,
Sæuior,& multa eſt tum viſus aceſcere bili.
Talia & expirans Tullo dat verba nepoti:
Tulle ò care nepos, vitæ potui hactenus aura
Veſci, nunc ſæuo me ſentio vulnere labi;
Quos mihi ferrum immane viriles abſtulit annos
Vlterius tibi victuro illos proroget æther;
Perſoluantq. Cures noſtro pro ſanguine pœnas,
Tuq. velis noſtræ necis eſſe acerrimus vltor:
Coniugis atq. meæ quæſò miſeranda pudicæ
Lamenta,& gemitus leni, cui nomine cures
Ferre meo: mœrore meos vt lædere manes
Parcat, nec de me illa gemat; quia in orbe perennis

Sis memor, ò longumq. vale ſpes cara meorum.
His animam tandem dictis efflauit in auras.
Auribus iſta nepos vbi comminus omnia cepit,
Indoluit, taliq. repleuit ſidera queſtu:
Heu dilecte aue ſupplicium nimis acre luiſti;
Nec tibi profecit ſpolia alta frequenter in alto
Suſpendiſſe tholo templi pro Martis honore.
Nullibi ego, almè parens, te laudibus abſq. relinquã;
Nec tua fama nitens leuiter reſonabit in orbe:
Nec quoq. cæde tua dudum iſta Sabina iuuentus
Gaudebit, neq. tu nomen patieris inulti.
Hæc dicens omni tunc ſubtrahi ab agmine iuſsit
Corpus aui; vt cæſo dare debita munera poſset:
Condere & illius ſquallentia membra ſepulchro.
Hinc tanti pro cæde ducis mouere Sabini
Tam graue Tulli odium conſanguinitate propinqui,
Vt miſeranda ideò decreuerit ipſe Sabinis
Prælia, Romulidum eſt ſortitus vbi inclyta regna.
sed ne digrediar, poſt hæc memoranda reſeruo.
Puluerulenta igitur terra dux ille iacebat:
Intereà, veluti platanus vi turbinis atri
Auulſus, qui alia ramos in parte reliquit,
Inq. alia truncum, cecidit ſi ex rupibus altis.
Hunc ſubitò ac ciues roranti lumine cernunt,
Tota acies dextri cornu titubare parumper
Incipit, horrifico cædis concuſſa timore.
Lucumo flos autem gentis præclarus Hetruſcæ,
Qui ſolitus fuit externos ambire penates.
spe laudis, pugnandi ſiue cupidine ductus,
Inſita vis animi ne æuo torperet inerti:
Abdita nam heroum virtus nequit eſſe latebris;

Et Vezzanus ei comes imperterritus ibat,
Nobilium claro Tuſcorum ſanguine cretus.
Quem titulis,& honoribus auxit,& extulit altis
Lucumo,donauitq. frui almo nomine ciuis
Vrbe in Lucenſi,à Lucumone ipſo ædibus amplis
Conſtructa; ſpolijs quò ſæpè redibat onuſtus
Vezzanus,referens deuicto ex hoſte trophæa;
Cuius auita graues imitati exempla nepotes,
Horridi ad externa vltro prælia Martis eundo,
Immortale ſibi nomen victricibus armis,
Lucenſi ac patriæ famam, laudemq. tulere.
Inſtructa auxilijs igitur legione Quiritum,
Prouidus inſtaurauit equeſtrem Lucumo pugnam.
Huic magnum natura caput, magnoſq. lacertos,
Formaratq. artus:nam animi amplas corpore paruo
Claudere non poterat dotes, nec Martis honores:
Quem iurè Atlanti poterant conferre uidentes:
Malus vt erecta nauis:nam fronte vigebat;
Quo non ingenio, & virtute potentior alter
Tunc erat ex clara Tuſcorum gente profectus:
Non modò nobilibus factis,at ſanguine primus:
Qui galea radiante caput ſublime tegebat,
Sculptor vbi mira celauerat arte leonem,
Qui roſeas fundebat ab atro gutture flammas.
Lorica indutus ductor geſtabat Eois
Enſem ſtellatum gemmis,auroq. micantem,
Ardua tàm atroci in bello quò plurima geſsit:
Et quò clauſit iter,patrias ne inuaderet ædes
Hoſtis, eum motu vibrans,gyroq. frequenti,
Nec ferus Ardelius belli verſatus in arte,
Ex huius potuit rutilanti euadere ferro;

Ne multos inter uiolento occumberet ictu.
Quid non virtutis? quid non oſtendit honoris
Lucumo? qui ire Sabinorum cum cerneret agmen
Ante forum, ſtat vbi ſublimi mole columna,
Lethiferum manibus quamuis perſtringeret enſem
Attamen ipſe baſim amplexans, validiſq. lacertis
Eripiens furtim, abſq. mora proſternit, & infert
Agmina contrà inimica (fidem ſi fama meretur)
Quæ ſic præcipitata ruens (proh triſte relatu)
Horriſono lapſu generoſam morte iuuentam
Abſtulit, & miſerè ſpirantia viſcera preſsit.
Huic frons aſpicitur frangi, atq. huic molle cerebrum
quo ſparſa albet humus, duro illi brachia dorſo;
Et fluida euelli intortis præcordia fibris,
Ex alioq. oculos exire per aſpera frontis
Vulnera, cui nulla humanæ iam ſigna figuræ
Reſtant; ſic membris membra, & ſic oſsibus oſſa,
Crura ſimul confuſa videntur vbiq; iacere.
Heu quàm tale dabat ſpectacula turpia factum;
Quò turmas, acieſq. ſuas confirmat, & omnes
Roboris exemplo intrepidos iubet eſſe Quirites.
At licèt illi inſigna decus det tam aſpera virtus
Talia quæ tentet conamina, cedat vt omnis
Illi Hetruſca Cohors, gens etſi aſperrima bello,
Huic tamen haſta celer galeæ eſt ingreſſa per ora:
Quæ caput armatum truculento vbi vulnere rupit,
Ampliùs haud aliud potuit conſiſtere cornu:
Fortia quæque etenim præcordia perculit horror.
Strenuus ergò Sabinorum dux Curtius arce
Ex Capitolina velox tunc currit anhelo
Per medios inſignis equo, cunctaſq. cateruas

A quò turbantur Mauortia corda Quiritum,
Omnis & ordo. Velut ſurgenti vortice Tibris,
Si quandò in pratis animalia multa, gregemq.
Lanigerum reperit, riuos demittit in imos.
Et Romana phalanx veluti ſpoliata magiſtro
Puppis agit, medias dum alti tenet æquoris vndas.
Quarè agiles Metius complens clamoribus auras,
Increpat hos omnes, iactantiq. ore laceſsit:
Viribus infidos homines ſuperauimus, inquit,
Et nimis imbelles tandem deuicimus hoſtes:
Fœmineas igitur quid vos viciſſe phalanges
Iactatis, factum ac ſi magni roboris eſſet?
Cur vos terga armis nunc vertitis, atq. virile
Cur quoq. non ſuperare genus tentatis inertes,
Et cunctos rapere in duriſsima vincla Sabinos?
Priſtina num veſtris animis audacia ceſsit?
In turpem dabitis prædam vos hoſtibus, ipſis
Cedentes arma, & clypeum abijcietis, & haſtam?
O preſsi torpore rudi, ſtupriſq. ſoluti,
Ite, & vim in teneras tantùm monſtrate puellas:
In rapiendo illas totum depromite robur:
Veſtra chelim teneat potius, quàm dextra parmam:
Nectite fronde comas, blandaſq. agitate choreas.
Hæc ſunt conſilia, hæ veſtri ſunt agminis artes;
Sed vos Marte ſatos pudeat non Marte peritos.
O qui connubium raptu ſociale petiſtis,
Noſcitis eſſe aliud teneras raptare puellas,
Inq. viros aliud certamina ſæua ciere;
Noſcitis & miſeri quàm ſit res vtraq. diſpar.
Dumq. fugam celerant omnes, Fellindrius ecce
In lapidem offendens ignauo poplite præceps

Cui non tam ſubitò licuit conſurgere terra,
Quin prius infelix numeroſa hinc inde caterua
Stante Sabinorum partes premeretur in omnes.
Quē captū magno inde trahuntq., feruntq. tumultu
Vertit in hunc intentus vbi ſua Curtius ora,
Illi pubentes obſcœno vulnere malas
Fœdans inſultat miſere, ac ſic ore profatur:
O inuiſe mihi, gladijs nunc oſcula fige;
Mollia delectet nec te oſcula ferre puellis:
Siſte gradum, inuiſam ne vltra bacchare per vrbem
Dulcia num demens ſemper manſura putaſti?
Pone modum lætis, ſatis eſt diffuſa voluptas:
Diraq. damna Sabinorum ſatis, atq. dolores
Riſiſti: heus morere, & ſtygias te merge ſub vndas:
Et lue ſupplicium, & ſcelerato ſanguine pœnas
Pro cunctis qui atroci mox te morte ſequentur.
Perſpicuo infelix miles nunc lumine cerne
Ludos, & luxus ſe in amaros vertere luctus.
I nunc ſi potis es manibus te ſubtrahe noſtris,
Quas non ſpontè vides diro mucrone regentes.
Nunc, nunc infelix opta ceu Dædalus alter
Excelſum per inane vagari inſignibus alis:
Et noſtrum effugere aſpectum, mortemq. paratam
Hoc dicens, collum primo, quem protulit, ictu
Abſcidit, in ſiccam & ſubito proſtrauit arenam.
Iugenti fuit hic Metij ictus robore dignus.
Auulſumq. caput directa fixit in haſta;
Quod non abſq. dolore graui Capitolia cernunt:
Quorum ex concuſſa regnator ſede profectus
Romulus, vt ſubitò fugienti cum agmine venit
Pectore anhelanti ad munita palatia feſſus,

Saxa Iouis vultus, ſic incipit ore profari:
Iuppiter altitonans, hominum ſator, æthere ab alto
Cernis vt inſultent turmæ, populiq. Sabini;
Ac Tatius, Metiuſq. ferox felicibus armis
Inflati veniant, dira pro fraude potiti,
Mœnibus, atq. arcem numeroſo ita milite cingant,
Vt nihil abſq. tuis humana potentia palmis
Poſsit: in auxilium properes ergò incola cæli
Numen: tempus enim nequit hoc vrgentius eſſe,
Vt pater alme vides: ergò concede vigorem
Militibus: quando ipſe tuo celſo alite iuſſus
Hic ego fundamenta priora antè omnia ieci,
Romanum reparare velis decus, atq. labantis
Conſpicuam regni molem fulcire memento.
Hic vbi ſunt galeis armati valle ſub ima,
Quam mediam ſparſo tenuere haud abſq. cruore,
Ex hac ſede, precor, tales procul ire feroces
Impera, & à noſtris arceto penatibus hoſtes.
Intuli ego fateor vim, & iurgia gentibus iſtis,
Hoſpitibuſq. pium ius fregi, ac nomen Aſyli;
Sed ſatis eſt experta tuum iam Roma furorem;
Et ſatis, heu, luimus commiſſa piacula, quando
Hoſtilius nobis cecidit fortiſsimus heros,
Egregium belli fulmen, gentiſq. Sabinæ
Terror atrox, luctus diuturni dignus honore.
Ah deberet eis iram hoc ſatiaſſe cruore
Eſſe ſatis. Tu ſumme pater depelle Quiritum
Terrorem gelidum, temerèq. hinc indè fugaces
Da noſtræ greſſus pauidæ conſiſtere turmæ.
Tu potis hunc tantùm belli compeſcere fluctum.
Hic tibi polliceor pario de marmore templum

Siſtere quòd populo curſumq. fugamq. dediſti,
Diſperſaſq. meas ad ſigna redire cateruas;
Extet vt hoc ſæclis monimentum illuſtre futuris,
Præſenti eſſe tuo ſeruatam numine Romam.
Has vbi ritè preces imo de pectore fudit,
Iuppiter & iuſtis flexiſſet queſtibus aures,
Et pia ſenſiſſet clypeati verba Quirini;
Romulidum tandem ipſe miſertus talibus infit:
Venerit vndè tibi hoc bellum Romane memento;
Sed quia noſtra ſolet clementia ferre roganti
Semper opem,tota eſt vt conſcia machina mundi,
Efficiam vt tutela tibi ſint Naiades almæ,
Quæ ſua ſtagna tenent Iani propè numinis aras.
Hæc vbi pauca Iouis ſenſit reſonare per auras
Romulus,in cunctos defigens lumina ciues,
Talia tunc ad eos clamoſa eſt uoce locutus:
Iuppiter en obſtare, iterumq. reſumere pugnam
Imperat,an quiſquam cunctetur ad arma redire,
Et manibus validis iterum tractare relicta,
Quo ſemper ſolitæ ante fuerunt robore, & arte?
Et cur nos adeò patefacta pericula vitæ
Terrent? non iſtud bellorum gloria poſcit.
Quis metus,atq. tremor præcordia noſtra fatigat?
His ille inflammare ferocibus agmina dictis
Cernitur:exoriens veluti ſol erigit herbas
Grandine concuſſas,floreſq. fero imbre rigatos;
Sic etiam illorum mentes, animoſq. refectos
Diuino tanquam ſermone reſiſtere iuſsit.
Intereà ante fores Iani peruenerat omnis
Gens,vbi dulciſono ſtrepitu ſurgebat aquarum
Fons nitidus, cuius confeſtim Naiades almæ

Feruentes reddunt lymphas (mirabile dictu:)
Nam quæ nuper aquæ poterant ſuperare niuale
Frigus, vix æſtu cedunt nunc ignibus ipſis;
Sulphureas quamuis flammas, volucreſq. fauillas
Sub fontis venas, oleumq. nigrumq. bitumen
Fama ſit ingenioſos mirè aptaſſe magiſtros.
Quos vbi magnanimi properanti crure Sabini
Horriſono cunctos ferroq. veruq, ſequuntur,
Fons ſubitò elicitur lymphis feruentibus, atq.
Inſolito Iani ante fores accenditur igne:
Necnon ſcintillare, nigrumq. efferre vaporem
Eſt viſus, tumiduſq. ſuo de margine abire;
Auſter perq. viam calidas expandere lymphas.
Non ſecus ac liquidæ flauentis Tybridis vndæ
Imbribus aſsiduis, Auſtroq. urgente tumeſcunt.
Torrida ſicq. viam clauſit ſubitò vnda Sabinis
Vndiq. ſe effundens, illorumq. obuia plantis:
Sic quoque fumantes circùm Iani atria lymphæ,
Ignitiq. lacus campos replere patentes,
Syrius vt nunquam cæli tot ab axe calores
Sedibus Aethiopum dederit, terriſq. Canopi:
Atq. hos poſſe dolos, aſtuſq. euadere multis
Vix licitum fuerit iam vertere terga coactis.
Quo ſociorum animos accendens Romulus aſtu,
Ad primos ſubitò ipſe duces ſeſe arduus infert;
Quos contra properè radiantibus irruit armis,
Non ſinè multiplici audacis legione inuentæ:
Et ſua uectus equo Metius cum tela uibraret,
Magnæ haud molis erat curſuq., fugaq. repelli.
Romulidæq. omnes vltro citroq. ſequuntur,
Sed non per callem moniti gradiuntur eundem:

Pugnantumq. nouam ante ſabinorum agmina gentē
Incitat Iliades,magniſq. hortatibus inſtat,
Sectari mandans equitemq., ducemq. Sabinum:
Cuius bellator ſtrepitu,atq. fragore ſequentum
Cum trepidaret equus,fremituq. hinniret acuto,
Tunc ſua torpenti ſubmerſit membra palude:
Quod ſocios terrore minaci auerterat omnes,
Ob dubium triſti pauitantes pectore caſum,
Et ducis egregij ob miſeranda pericula vitæ,
Quæ ſubiturus erat,niſi vis, & prouida virtus
Exhibuiſſet opem,munimen & acre tuliſſet.
Nam licèt hic eſſet telorum turbine preſſus,
Attamen emerſit generoſi Coclitis inſtar.
Curtius hinc fertur nomen poſuiſſe paludi:
Curtia namq. palus eſt dicta Quiritibus olim;
Vt belli celebranda huius monimenta manerent.
Romulus auxilio intereà, & virtute refectus,
Martē iterū, atq. iterū magno cū murmure clamat:
Altus equo circumq. acies audentior ibat,
Et clauam extollens mirandos incutit ictus,
Multa cruenta quibus ſternuntur funera terræ:
Verſa at ſors pugnæ nutabat, ſemper habendo
Res ſatis inſtabiles varij ſub turbine caſus,
Ambegitq. anceps huius fortuna duelli.
Romulidæ Regem cernunt vt abeſſe quirinum,
Hoſti terga dabant, iterum præſente Quirino
At ſeries ſubitò, gratuſq. reſumitur ordo,
Seq. ex turpi acies retrahunt formidine cædis:
Et neq. in aduerſos ferri tunc amplius hoſtes
Tardabant:verùm gentes,acieſq. Sabinæ
Taliter vrgebant;nullius vt eſſe putarent

Molis, Romana penitus ditione potiri:
Marte ſub ancipiti at ſe tractare arma videntes,
Conflictum pugnæ paulùm intermittere curant.
Ad vallum reditus tamen eſt ſatis arduus illis,
Nec reuocare gradum facile eſt ex collibus imis,
Quin áliquid pugnæ, cædiſq. ſuperſit vtrinq.,
Vulnere & alterno ſeſe fœdentq., necentq.
Perq. viam ſpectare fuit moribunda virorum
Membra, quibus fletus extremi, atq. vltima mollis
Cordis erant rutilo ſuſpiria miſta cruore.
Vtraq. gens duri ſemper Mauortis alumna,
In media montis gemini conualle reſumit
Arma, & ſe ingenti cum ſanguinis imbre uiciſsim
Vulneribus fodiunt magnos imitantibus amnes.
Hic fragor armorum auditur, gemituſq. cadentum:
Telorum iactus, & acerbi murmura lethi:
Omnes tunc, totis quantùm potuere lacertis,
In vulnus, cædemq. trucem ſua brachia tendunt.
Fortis equo deiecit Eraſmum Herdonius acer,
Rorantiq. cruore ſuum undiq. polluit enſem:
Et Syluanus Ariſtinum; & dux Lucumo in ipſo
Flaminium primo pubentis flore iuuentæ
Diuitijs celebrem, Bardumq., acremq. Leandrum.
Nec paucam ſtrauit gentem Vezzanus acuta
Cuſpide, & Antigono, qui nobilitate ſecundus
Nulli erat, in fruſta, & loricam, & pectora fregit;
Atq. per agmen iens tantum Archonti intulit ictum
Per galeam, mucrone vt humo proſtrauerit illum.
Cui, ſuper impoſito ſtringens pede pectora, dixit:
Si mihi Vezzano poſces pro munere vitam,
Obſequar ipſe tuis precibus, placidiſq. petitis:

Ille ſed, ah moriar potiùs, quàm talia poſcam:
Tunc grauis ardenti Vezzanus concitus ira
Viſcera transfodit, pectuſq. virile Sabini.
At non te cuſtos arcis, moliſq. Sabinæ,
Cui rubra cæſaries blanda ex ceruice fluebat,
Valentine ego nunc ſileam: quoniam enſe voraci
(Res miranda) neces multo tua dextera plures,
Quàm iactus dedit, ò heros fortiſsimè bello.
Pontidicuſq, Sophonisbum, fortiſq. Gerardus
Harmodium; ac miſero Torquatus funere Rullum
Merſit, & Arnoldus Ninum, & Lambertus Araltum:
Marſilius Decium, Hirenumq. ferumq. Clearcum.
Noſcere non datur, an puluis, fumusuè ſit ille,
Qui paſsim uolitat conuexi ad ſydera cæli,
Et tegit, obſcuratq. nitentia lumina ſolis,
Ipſemet an denſo Titan ſe velet amictu;
A tanta vt feritate oculos àuertere tentet.
Cæſa uias etenim roranti ſanguine fœdant;
Corpora, quæ ſpectantur atroci occumbere morti:
Et cruor ex vtraq. virorum parte redundat.
Dum tantam ſtragem circumſpexere Sabinæ,
Ex quarum fluxere ferocia prælia raptu,
Quæ reuoluta ſuis manibus tunc fortè tenebant
Penſa, & acus magno excuſſere dolore coactæ:
Fœmineiq. metus penitus pallore fugato;
Has ſubitò truculenta vides per tela, per enſes
Non humili properare modo, muliebris & inſtar
Non moris medium morituras ire per agmen.
Vlnis, & gremio infantum dilecta ferentes
Pignora, ad aureolas abſq. ordine preſſa papillas:
Et velut oblitæ ferri, armorumq. rigoris,

Ipſis dura viris,ducibuſq. pericula tentant,
Atq. ruunt miſerè conſciſsis veſtibus omnes,
Effuſæ flauos per eburnea colla capillos,
Purpureaſq. genas laniatæ,& pectora palmis,
Seſe in humum poſito ſternebant poplite,& ora
Fletibus abſciſſæ vitis de more rigabant,
Aut ceu vere nouo irrorat dum Lucifer herbas;
Quæ ſimul has omnes vno ore dedere querelas:
Heu nimium miſeræ: quæ nam terrenda uidemus
Spectacla,& Romanarum diſcrimina rerum?
Nunc nunc ò Parcæ quæſo legite vltima fila:
O quam mors nobis uita iucundior eſſet;
Lumina ne tantas ſpectarent noſtra ruinas,
Non ita Romanis pridem (ſic fata tulerunt)
Nupſimus,en noſtram ſobolem, veſtroſq. nepotes
Lactamus:noſtris quæ infertis tela maritis,
Ceſſent ergo patres,nec ſcindite vincula noſtri
Connubij hoc bello; at placidum componite fœdus:
Ne veſtrum in germen noſtros odia aſpera partus
Exercete patres, tantumq. auertite crimen,
Pectora ſi qua tenet veſtræ hæc pietatis imago,
Nec rigidos æquent ſcopulos,atq. aſpera ſaxa
Duritie,immanem vel ſi non Atrea, ſæuam
Aut Prognem, ſeu terribili feritate leones
Vincitis,humanæ mentis ratione carentes.
Tunc ecce Herſilia in cælum pia brachia tendens,
In Tatiumq. oculis intenta his vocibus orat:
O Martis Neria has concordes,quæsò,cateruas
Effice; quo liceat noſtris feliciter vti
Tædis:hoc cecidiſſe tui de coniugis ipſa
Conſiliis reor,& monitis, vt in Vrbe quiritum

Nos turma integras raperet fatalibus aſtris,
Vndè ſibi dilecta parare perennibus annis
Pignora ſic poſſent, caroſq. creare nepotes.
Sin piget affines Romanis ciuibus eſſe,
Nos nos cauſa ſumus tanti certaminis huius,
Mœroriſq., patrum pariter, cædiſq. virorum;
O generoſe Tati, rigidum depone furorem;
Siue cruenta in nos contorque ſpicula, & enſes,
Et noſtrum transfige furenti cuſpide pectus.
Hoc ſolamen erit manuum cecidiſſe tuarum
Ictibus, hoc tantùm ſolabimur vltima fata.
Nos etenim cepere ingentia tædia vitæ.
Quid quoq. Romulidæ rigidis cenſetis in armis?
Nos ita iuſsiſtis Romæ ſperare triumphos,
Poſt patriam amiſſam, poſt tot, tantoſq. dolores?
Hæccine pacta fides, promiſſaq. commoda nobis?
Hæc ne viri pepigiſtis adhuc ſolatia vitæ?
Infeſtas lenite acies, odijſq. referta
Pectora: lenite has iras, Martiſq. tumultus:
Aut vos ò monteſq. feri, præruptaq. magnis
Marmora fornicibus, celſiſq. hærentia tectis,
Nunc nunc præcipiti molimine vulſa repente
In nos iam ruite, & tantis imponite finem
Luctibus, & noſtro nunquam ceſſate dolore
Paſcitale viri ne animis aſſueſcite bellum,
Nec ferrum in noſtrorum vertite uiſcera patrum,
Quorum vos generi, arctoq. eſtis ſanguine iuncti:
Vos illo ah pudeat palmas maculare feroces.
Sin minus, en potius volumus ſuccumbere letho,
Quàm uobis uiduæ, & caris genitoribus orbæ
Sub cælo hoc vltra vitali veſcier aura.

Vocibus his etiam querulis miſerabile murmur
Additur infantum; tulerat quos mater in vlnis.
Quæq. ſuum: compellat auum quoq., & arma cietem
Quiſq. patrem puer, atq. pias cum vertice palmas
Tollunt; arma quaſi annuerent ponenda; ſilerent
queis licet ora, tamen nutu hæc, ſigniſq. ſonare
Verba videbantur: noſtræ miſereſcite quæſo
Aetatis, membriſq. tenellis parcite, & annis:
quid referam; immo illis licet ætas verba negaret,
Attamen (ingenii proh quanta potentia amoris)
Fari coguntur: Crœſi ceu paruulus infans,
Cuius parua ætas tantum vix tempus agebat,
Vt ſeptem vicibus cornu renouaſſet in axe,
Quæ nata in viridi eſt cæleſtis fœmina Delo:
Hoſtem ſed puer vt vidit directa tenere
Spicula, quæ inijceret dilecti in terga parentis,
Ter conatus erat fari, ter molle repente
Extulit ora puer, cupiens depromere verba:
Quo nixu linguæ fallacia vincula rumpens,
Hæc concinna ſuo dedit haud male verba palato:
Hic Rex eſt, temerate manus ne ſanguine Regis.
Hi quoq. ſic fecere (fidem ſi fama meretur)
Qui licet haud ſcirent, verbum nec promere poſſent,
Sunt mire ſed auos, patreſq. vocare coacti.
Matribus at poſtquam miſero indulgere dolori,
Atq. datum flere eſt, querulaſq. effundere voces,
Non ſic pila ferus contorquet in agmina miles,
Intima ceu lacrymæ penetrarunt corda virorum,
Quæ validas frangunt illis ad prælia vires.
Nam ſubitò manibus cecidere ex omnibus arma
Et prece ſe flexere omnes, gemituq. pudico.

Quod nec eos cædis terror, nec vulnera ſæua:
Quod nec flammæ,enſeſq. feri, nec ſaxa retardant:
Quod nec tormenta erectos torquentia muros
Poſſunt: fœmineæ mox eſſecere querelæ:
Nam furor illorum ſubitò, acris & ira quieuit,
Nec magis inceſsit rabido diſcordia motu.
Conclamant cuncti pacem,gladijſq. remotis
Ad cælum placidæ arbuſta erexere Mineruæ.
Nec pauci iuuenes, pueriq. aduoluere gaudent
Florida oliuiferos circùm ſua tempora ramos.
sacram exinde viam dixit longæua vetuſtas
Eſſe locum Vrbis,vbi ſociabile fœdus initur,
Cum generis ſoceri:quod ita,ac tali ordine iungunt.
Nam prius ante ſuperba Iouis delubra tonantis,
Præſtantem ſtatuunt mira pinguedine porcam,
Cui maculis inſigne caput, cui plurima ceruix
Ornamenta dabat, largo ex proboſcide cuius
se gemini dentes celſum ad caput vſq. ferebant.
stabat ibi Tatius clypeo,galeaq. coruſcus,
In qua flammiferæ radiabant vndiq. criſtæ,
Gente sabinorum,& generoſa aſtante caterua.
Atq. ibi tunc etiam rutilanti caſside cinctus
Romulus aſtabat cunctis cum ciuibus Vrbis,
qui tales fudit reſonanti ex ore loquelas:
Eſte mihi ſuperi teſtes,ego fœdera quantùm
Optarim ſemper,teſtor te Iuppiter alte.
Nunc optata dies tandem contingere dextras
suadet,cui nulla obſtabunt contraria fata.
Per ſacra quæ tango diuorum altaria, & ignes:
Clare rati in primis comitem te dignor in æuum
Complecti, ſocerumq. inſtar genitoris amabo:

Regna tibi mecum communi ſorte dabuntur,
Atq. tuis populis clara virtute refertis
Debita ſemper erit rerum communis habena:
Et cum gente mea alterna vice ſemper ad alta
Spondeo magnanimos acciri regna Sabinos,
Spondeo & imperij per luſtra perennia culmen,
Et mihi prorſus erit nullo violabile fœdus
Tempore. ſic per acuta Tonantis fulmina iuro.
Intereà canus niuea cum veſte ſacerdos
Ante aras nigram mactabat cuſpide porcam,
Viſcera cui rite, & neruos in fruſta ſecabat.
Talibus alludens dictis: ò Iuppiter alte,
Sicut ego hanc ferio rorantem ſanguine porcam:
Sic precor vt populos truculento vulnere cædas,
Qui non tranquillæ ſeruabunt fœdera pacis,
Fac cum morte pari ſimiles perſoluere pœnas,
Quòue magis poteris ferias bone Iuppiter illos.
Concordi ſenior Tatius ſic annuit ore;
Confirmatq. repente ſuis hæc omnia dictis:
Donec Nilus habebit aquas, vortexq. Paduſæ,
Donec & ardentes cœlo trahet Aetna fauillas,
Verè ex parte mea nunquam, Curiumq. meorum
Romanæ hæc mea rumpentur data fœdera genti.
Machina quin terræ pelagi ſi occumberet vndis,
Aut in Tartareas æther ſe verteret vmbras,
Pacatam haud poterunt homines auertere mentem.
Indicia huius erunt animi quæ munera cernis:
Hanc tibi do galeam manſuro adamante coruſcam,
Et regum variis ornatum ancyle figuris,
Quas docta ſculpſit Mamurrius arte magiſter.
His firmans pacem, finem dedit ore loquendi.

Dein ſibi tunc omnes inſignia dona viciſsim
Dant, ſimul alterno exornari munere gaudent:
Amplexuq. dato tantam ſub pectore voluunt
Lætitiam, vt gemitus retinere haud lumina poſſent.
Tunc & aui accipiunt pueros, paruoſq. nepotes,
Perq. ſuas galeas delibant oſcula ſæpe:
Illos quiſque caua clypei ſub parte reportat.
Romulus ob fœdus caris gratatur amicis,
Pertentantq. ſuum ſublimia gaudia totum
Pectus, & alta iubet penetrare palatia gentes:
In quibus ipſe dedit nitidæ penetralibus aulæ
Sternere fragrantes epulas, menſaſque parare;
Inter ſe vt gratos merito teſtentur amores.
Vndique ſplendere aulæis, luxuque ſuperbo
Regia conpicitur, cuius patuere repente
Quæ ſe tollebant operoſa mole feneſtræ:
Tota & odorata ſpirat vaga regia flore.
Nam conſperſa liguſtra, roſæque videntur amœnæ.
Hic etiam cedri frondes, hic maxima thymbræ
Copia, ſerpillique vagi, myrtique virentis:
Pinguia & Hyblæis redolent conuiuia ſertis,
Ac ſimul vnguentis Arabum, guttiſque Sabæis.
Quid moror egregias epulas, nitidoſque paratus;
Nil ibi nobilius poterant optare cateruæ.
At petijt prius auxilium cæleſte Quirinus,
Qui tali ante ſacras aras eſt voce precatus:
Numina celſa decet me æternas reddere grates;
Nam ſancita meum ſublimi munere veſtro
Fœdera ſunt inter populum cum gente Sabina,
Nec ſine diuorum, atque ſupremi laude Tonantis;

Et cum lauta parare velim conuiuia cunctis
Gentibus,ergo mihi veſtrum præbete fauorem.
Connubialis erat dudum his ſternenda cateruis
Cœna, ſed hoc minimè atra tulit diſcordia rerum.
Talia dicenti ſubitò (ſi eſt credere dignum)
Tradita ſunt illi,quæ in ſyluis munera ſolers
Feruenti ſudore fuit venator adeptus,
Atque feris ſyluestribus omnis paſtor onuſtus
Conſpicitur penetrare palatia celſa Quirini;
Vt quæcumque dapes poſſent in talibus eſſe
Menſis: quas famuli magna dum laude parabant,
Exquirunt oculis læti aurea vaſa Sabini,
Craterasq. vago Gangis de littore ductas,
Quæ cunctæ in tantum veri duxere figuras,
Vt melius nunquam ſanè ars imitata fuiſſet.
Has admirari, cunctosq. notare paratus,
Atque illis gaudent ſpatiari ſedibus amplis:
Pulchra vbi ſunt pueri forma conſiſtere iuſsi,
Fuſa quibus coma erat per colla nitentior auro,
Electa ceruice inter genus omne Quiritum;
Fragrantem vt manibus ſolito dent ordine lympham,
Et menſas onerent dapibus, lautiſq. placentis:
Ore,genis, ætate pares, & moribus omnes,
Virgatiſq. nitent ſagulis,in margine quorum
Tranquillæ ſculpſere magiſtri inſignia pacis;
Scilicet illa inter pallentis ramus oliuæ
Plurimus effulgebat acu diſcretus in auro.
Inſtructa vt cunctis vidit conuiuia rebus
Romulus, ante omnes Tatio primordia menſæ
Conſtituit regali in ſede,vt iure licebat;

Di-

Diſtribuitq. loca, atque ſedilia fuſa tapetis.
Ipſe in conſpectu auguſta grauitate recumbit:
Diſcubuere pari cnnctæ ſimul ordine gentes:
Dextra parte viri, iuueneſque, ſeneſq. togati,
Et læua pulcher cœtus matreſque, nuruſq.
Fit celebris latè circùm fragrantia plauſus
Tecta, atque in medio latæ ſupereminet aulæ
Cæſarie flaua iuuenis, nouus æmulus Orphei,
Qui vaga fila lyræ, digitis aptauit eburnis
Lætifico, ac tali conuiuia ſoluere cantu
Incipit: Elyſij valeant præconia laudum;
Heſperidum & valeant auro, pomiſq. referta,
Phæacunque ducis valeant formoſa vireta:
Pulchra, nec à nobis Helena, ac Dido alma, Tethyſque
Lesbia nec Sappho, Eurydiceq. nec integra Daphne;
Nec tollatur in aſtra magis Thitonia coniux:
Fœderis effecti paciſq. canamus honores,
Et quas mitis habet celebris concordia laudes,
Et bona quanta ferat ſemper mortalibus ægris,
Quantaq. ab inde fluant diſiectis commoda terris.
Nam decus inſigne hinc, tranquillæq. ocia vitæ,
Et ſimul omne bonum, atque hinc aurea profluit ætas:
Gaudia, & hinc rerum veniunt, caſuſq. ſecundi.
Ceſpitis, ac viuacis oliuæ illuſtre repertum
Palladis eſt meritò cunctis memorabile ſæclis:
Rector, & Oceani meritò Neptunus ab illa
Inuento tali eſt ſuperatus, donec vterq.
Appellare ſuo veterem de nomine terram
Vellet Athenarum, inſtar erat Iouis alta voluntas:
Concutiens Neptunus humum, ſaxumq. tridente

Dat conſurgere equum bellorum inſignia Martis;
Illa ſed albenti terram percuſsit vt haſta,
Cum baccis oleam victrici protulit ictu.
Vincere iure quidem meruit; nam ramus oliuæ
Nobile pacis adeſt ſignum,ſeu fœderis: vnde
Pax quam ſit bello longe anteferenda videtur.
Clarius exemplum potuit quod habere vetuſtas?
Tu facis affines omnes,& ſanguine iungis
Pax alma,hoſtileſq. fugas, dirimiſq. tumultus.
Tu cunctis alacris vitæ mortalibus auram,
Optatamq. refers æterna in tempora laudem.
Tu quoque Romanæ prudens ò conditor vrbis
Hac noſtra ſemper celebrabere voce, lyraque;
Nec non Talaſius, qui connubij auctor habetur.
Talaſium ergo canamus, Talaſium omnis ad aras
Turba ſonet,celebriq. illum veneretur honore.
Atque ego felices lacrimas, gemituſq. vocabo,
Feliceſque preces, quæ tot potuere tumultus
Pellere, tamque feris compeſcere pectora in armis.
Quo magis illa etenim ardebant incendia Martis,
Tanto creſcebat lacrimarum latius humor;
Poſſet vt irarum tantas extinguere flammas.
O lacrimas dulces nimium, ex quibus eſſe videntur
Gaudia noſtra ſatis maiora hoc tempore: namque
Difficili ſæpe in conflictu gaudia creſcunt;
Et veris multo fruitur mage odoribus ille,
Qui donec ſpoliatq; capitq; fauum, horrida roſtra
Sentit apum, molleſque roſas de ceſpite carpens,
Dumoſas circum ſpinas horreſcere cernit.
O validos gemitus ſubitò in tam clara relatos

Tempora

Tempora lætitiæ, totq; in ſolatia verſos.
Gaudia nunc rediere: velut poſt nubila, & imbres
Sol nitet igniuomus complęctens lumine terras.
Nunc Vrbs mutauit lituorum murmura dira
In dulces cantus: poſuit nunc quilibet arma,
Nec magis illorum auditur trepidabilis horror:
Mœnia nec miles baleari concutit ictu;
Cernitur at tædis felicibus eſſe ligatus
Mars ferus, & paci gladios, ac tela dediſſe;
Pax vt ea in falcis vertat, ſeu vomeris uſum.
Nunc noſtri ergo greges hilares per amœna vagẽtur
Paſcua, cumque ſonoro inflent modulamine buxos
Læti cuſtodes ouium, verſentq; choreas.
Nunc ſtillet nemus omne virenti ex arbore mella:
Effluat & puro Tybris pater undiq; lacte,
Atque per illius ripas modulentur olores,
Signaq; lætitiæ demonſtrent, pacis & almæ.
Hæç vbi finiuit, totam & concentibus aulam
Mulſit, & eſt epulis id vbi genus omne refectum:
Atque exempta fames, & edendi extincta cupido,
Romulus inde ſua ſic alta à ſede profatur:
Quanta meum ſtringat veſtri nunc gratia pectus,
Haud mihi iurandum ſanè per conſcia diuum
Numina, perq. meum pectus; nam noſſe poteſtis:
Et magis, atq. magis vero ſuccendor amore,
Ob quæ ſunt aris nuper ſancita viciſſim
Inter nos, noſtrumq. genus pia fœdera pacis,
Quæ mage vos caras omnes dedit eſſe puellas,
Non veſtris tantum patribus, carisq. maritis,
Sed mihi plus etiam caras ex omnibus vni.

Per medium quandò fluere haud vos terruit agmen,
Pignore cum caro natorum, horrenda per arma
Maturare gradum, rigidiſq. occurrere turmis:
Ac trucibus pugnantum vitam offerre ſagittis:
Vos nihil horrendum pauiſtis, & omnibus omnes
Reddere curaſtis vitam præſtantibus auſis.
Signa dabo, & noſtri memorabile pignus amoris
Omnibus, vt ſeris monimenta nepotibus adſint,
Tantarum rerum monimenta: ego deinde Quirinus
A veſtris Curibus lætabor nomine dici.
Scilicet iſtud erit poſitum cognomen, & ipſi
Noſtri dicentur ciues per ſæcla Quirites:
Vtraq. gens tandem vt populum coaleſcat in vnum,
Nunc communis erit tellus hæc noſtra Sabinis;
Et quas veſtra notas inſignia bellica monſtrant
Accipiam, primaſq. meis inſignibus addam
Quattuor ipſe notas ſub depicto orbe coronæ.
Cum noſtri in populi hæ poſsint conſiſtere ſenſu,
Attamen id faciam veſtræ pro ſtirpis honore.
Incautas & ne quondam rapuiſſe puellas
Dedecus, atque notam (licet hac in ſorte pudendum
Nil fuerit) vobis vllo tamen afferat æuo,
A noſtris quoties ducenda eſt ciuibus vxor,
Coniugis ante ſui penetret quam ſepta domorum,
Per vim ſub tecti penetrale trahatur ab ipſo
Coniuge: quæ nitidi mandata verenda Quirini
Tempore ſeruauit longo Romana iuuentus,
Multaq, ſpectarũt hunc olim ſæcula ritum.
Ampla putabat enim hæc validis fore dona Sabinis;
Vt daret admiſsi raptus extinguere nomen,
Atque

Atque ſuam veterem tegere hoc velamine culpam.
Ipſe ſequens etiam fari hæc ſuper addidit ore:
Ter denas fundare tribus mihi certa voluntas
Cum ſit, eis imponam nomina veſtra puellæ.
Romulus hanc tandem cupiens perſoluere mentem,
Eligere illuſtres decreuit ſorte puellas.
Vndiq. gemmiferis igitur ſtellata lapillis
Vrna capit conſcripta notis pia nomina paruis;
Vt lux fatidicas emittat craſtina ſortes.

Finis libri Tertij.

IN QVARTVM SABINIADOS LIBRVM ARGVMENTVM.

Magno cum apparatu Romani puellarum nomina ſortiuntur; quarum virtutes recenſentur: deinde Sabini ciuitate Romana donantur. & quia in fœdere pactum eſt, vt viciſsim regnarent, ideo, mortuo Romulo, Numa Pompilius rex creatur; qui magno omnium dolore moritur, & præſertim Aegeriæ coniugis, quæ mœrens omnes res ab ipſo geſtas narrat, & flendo in fontem commutatur. Mortuo itaque Numa, Tullus Hoſtilius regno ſucceſsit; qui fœdus à Romulo initum cum Sabinis fregit, acerrimum bellum illis inferens in quo Demetrius dux exercitus Sabini Tullo fortiſsime reſtitit; à quo etiam Tullus vulneratus, præmia eũ occidenti promiſit; quod facturum pollicetur Syluius, dummodo trophæũ ſibi erigatur. Neptuno deinceps, & Rheæ ſe Tullus voto obſtringit, pro victoria reportanda: per Sabinorum Oratores bellum interim dirimitur; ſed quia Sabinorum vires Tullus contractas eſſe videbat, Numa enim regnante pleriq. in vrbem migrarunt, iterum eos inuadit, pugnaturq. apud Malicuſam Syluam, ad quam cum accederet Syluius, cum ſuis ſocijs interimitur: ſed Tullus ſuperueniens Demetrium proſtrauit; & prœlium cum tanta vtriuſque partis cæde fuit, vt

anceps videretur victoria. Dum ſtrages magna fieret, Chyrieclido Sabinorum ſacerdoti ſe obtulit viſio Iouis; qui videns iam ſæpe à Tullo Sabinos opprimi, ad inferorum furias vocandas mittit Irim, vt Tulli exercitum illæ peſtilentia inficiant, & occidant: quam viſionem probauit euentus; quia tūc Romæ peſtilentia orta eſt, ex qua cum Tullus magicis artibus euadere ſtuderet, illum Iuppiter fulmine peremit: in cuius cæde abſoluitur totum opus.

HORATII MASSARII

V. I. D.

SABINIADOS

LIBER QVARTVS.

DVm noua lux igitur cælo eſt patefacta ſereno,
Et leuis aurora Oceani ſurrexit ab vndis,
Ad Cereris cultum alliciens genus omne colonum,
Ante forum Tarpeiæ arcis, ſpectante caterua,
Nomina, quæ Iliadis iuſſu aurea ceperat vrna,
Paruulus ecce puer digitis, & voce trahebat,
Cui cæleſtis erat formoſi gratia vultus,
Prima genas nec adhuc veſtibat flore iuuenta.
Sed mihi ſi electæ illius memoranda cateruæ
Nomina erunt, digno haud potero percurrere cantu,
Vos niſi grande regatis iter per carmina Muſæ.
Veſtrum opus eſt numeris caſtas decorare puellas,

Quæ,velut ipſe reor,veſtro ſub tegmine ſiſtunt;
Pompa, ſed hic ingens,plauſuſq. inductus abibit.
Quem dum lecta cohors tribuũ exhibuere Quirites,
(Quod felix ſemper, fauſtumq. Quiritibus adſit.)
Nobilis Æmilia in primis clamore ſecundo
Exire auditur patula graue nomen ab vrna:
Cuius tanta fuit caſto clementia cordi,
Eſſet,vt hoc generoſo nomine digna Pelaſgo,
Templo addicta ſacro Veſtæ (ſi audita recordor)
Quæ prece feruenti extinctũ ignẽ accendere quiuit,
Impoſitus foculo cum carbaſus eſſet ab illa.
Hinc quantùm valeat,poſsitq. Sabina iuuentus
Conſpicitur, quantoq. preces ſint munere dignæ.
Hæc benè deſignabat acu ſub ſtamine molli,
Iungebatq. triumphales bombycibus arcus,
Atque leues operi digitos mira arte mouebat.
Hac in ſorte locum tenuit quæ deinde ſecundum
Pulchra Änienſis erat, Tyrio cui tincta colore
Ora videbantur, nulla tamen arte rubebant:
Non aſſueta colo, aſt operi,duriſq. Dianæ
Telis, & ferrum ſemper tractabat, & arcum,
Inq. armis animum geſsit, curamq. virilem.
Claudia conſequitur niueo tum flore pudoris,
Tum Clauſi virtute ſui decorata parentis.
Dotibus innumeris animi aucta Galeria pergit:
Sedulitas mira in rebus florebat agendis.
Huic, qua nulla fuit texendi inſignior arte,
Quòdve gerunt aliæ, triſtis quia cogit egeſtas,
Hæc virtute ſua faciebat, vt ocia numquam
Contemerare vagos poſſent candoris honores.

Ponè

Ponè ſubit fulgens altis Cornelia factis:
Quæ non progenie tantùm fœcunda, potenti
Floruit, aſt etiam virtute, & laude perenni.
Cruſtuminæq. cadit pariter ſors grata merenti,
Quæ patrijs ſortita fuit graue nomen ab aruis:
Hæc parit illuſtrem prolem, vocemq. ſonoram
Emittit roſeis quoties mouet ora labellis,
Ipſaq. dum æthereas impleret cantibus auras
Non modò tranantem pelagus potuiſſet Vlyſſem,
Ipſas quin etiam Syrenas flectere cunctas.
Tu quoque grata polo clamore Falernia fauſto,
Felici ac fato ex aurata educeris vrna,
Quæ caſtum multis animum virtutibus ornas.
Deinde puer Fabiam pariter, quæ mente fideli
Semper caſta fuit, nulloq. coacta timore,
Lemoniamq. trahit claram virtute paterna;
Cui genus a proauis, atauiſq. illuſtre nitebat:
Quæ licet aſsiduè vitiatis murice peplis
Poſſet ſe induere, auratoq. niteſcere lymbo,
Eſt humili contenta tamen ſe cingere lana.
Mettia tanto etiam ſortis decoratur honore,
Cuius erat culto muſarum in pectore cultus:
Nulla abeunte die, quo non memorabile carmen
Condere, ſiue lyram pulſare ſoleret eburnam.
Succeditq. ſagax Popillia, cuius honorem
Si quis fortè alijs exiſtimat eſſe ſecundum,
Non benè conſilium rerum, fandiq. nitorem,
Eius & eloquium nouit, quo pellere fluctus,
Et vaſtas pelagi poterat mulcere procellas.
Nobilis hac etiam digna eſt Pontina cohorte,

Celſo doctrinæ cultu inſignita, nec expers
Muneris antiqui texendi pectine telas.
Tam bene blanda ſuis digitis tangebat eburnis
Cymbala, vt egregio repleret ſydera plauſu;
Non modus, & ratio ante fuit, ſerieſq. ſonandi,
Iſta ſed in ſonitu hoc experta reduxit ad artem.
Gratæ etiam venere tibi Puppinia ſortes,
Cuius docta manus linum texebat in auro.
Egnalia inde ſubit generoſa Papyria factis,
Quæ cui nupta viro eſt, tantum detexit amorem;
Seruatura virum vt venienti occurreret haſtæ,
Forti ac propter eum tulerit graue pectore vulnus.
Publiciæ poſitum fruſtrà haud eſt nomen in vrna,
Quæ ſua membra humili cingebat veſte libenter,
Penelopes Graiæ caſtos imitata pudores.
Otriculana quoque has inter numeranda puellas
Iure fuit; ſiquidem huic veneranda modeſtia morum
Demiſſum dabat aſpectum, lumenq. tenere
Ipſa ferè in laribus licet altis clauſa maneret.
Nec te tranſierim diuorum ſedula cultrix
Pollia, relligionis erat cui tam inſitus ardor,
Semper vt ante ſacras aras proſtrata maneret.
Poſt has Vfentina domo ſubit orta potenti,
Cui non tam peperit ſors, quam prudentia famam.
Scappia caſta comes ſequitur, quæ ſemper in omni
Pulchra puella loco inceſſit velamine tecta;
Pluraq. monſtrabat cari argumenta pudoris.
Narneſia extrahitur, prudentia ſedula cuius
Interdum poterat caſus præſcire futuros.
Sergia ſuccedit, tantus cui corda mariti

Strinxit

Strinxit amor, viduata pudici vt turturis inſtar
Nollet ad alterius ſocialia iura reuerti.
Protinus ecce ſubit gentis non parua Sabinæ
Gloria, quæ patriam reſonabat nomine, quando
Iure Sabatinam cari dixere parentes.
Stellatinam habuit ſociam hæc in ſorte virago,
Quam ſatis ad veram laudem fuit eſſe vocatam
Stellam, tam pulchro celebrari nomine dignam:
Inſtar enim ſtellæ lumen fulgebat vtrumque.
Fatidicæq. cadunt ſortes in clara Quirinæ
Nomina, cui ſacra armabat conſtantia pectus.
Atque Terentina eſt vigili virtute ſecuta,
Quæ ſic venandi ſolertem exercuit artem,
Sæpe vt proſtrarit lepores, ceruoſq. fugaces;
Qualiter egiſſe in ſyluis vaga Delia fertur.
Altera conſequitur, tum ſobrietatis amica,
Tum pariter cultrix operum, rerumq. Mineruæ,
Cui Veientinæ nomen fecere parentes.
Eliciturq. procis fruſtra exoptata trecentis
Illa Velina ducis Metij de ſanguine creta:
Rarius, aut nunquam eſt incedere viſa per Vrbem;
Verum ſemper acum exercebat in ædibus altis.
Tromentina ſubit venerabilis ore puella,
Quam tangebat honos, & opimæ gloria lanæ:
Texere nam ſolita eſt varijs aulæa figuris.
Ex ima tandem Veturia proſilit vrna,
Fronte humilis, ſimplex animo, nec amica loquelæ
Huius honoratæ Volitina eſt vltima gentis,
Qua numerus tribuum ſublimi eſt ordine clauſus:
Hæc extrema licet ſubeat, tamen eſſe videtur

Nulli

Nulli virtute inferior, nec honore ſecunda.
Nomine tam prolis, generoſæ nobilis ordo
Eſt tribuum Romana vbi deſignatus in Vrbe,
Innumeris princeps Romanus honoribus auctas
Has dedit eſſe tribus, ac dotibus extulit altis.
Illud nec ſolum, magnum quod fortè videtur;
At maiora manent priſcos monimenta Sabinos.
Nam Tatium in partem regni, patriæq. vocauit,
Eſtq. illum ſocium in partem complexus honorum
Romulus ac Tatij Tatienſem nomine regis
Fecit in vrbe tribum, quæ laude excelluit omnes.
Non modò rex vltrò peregrina ex gente creatur,
Aſt etiam ex ipſo nuper ſæuo hoſte Quiritum:
Lætariq. datur Romani nomine ciuis,
Atque Sabinorum populo conſiſtere regnis:
Conſilijs & adeſſe Patrum clariq. ſenatus;
Atque ibi ritè ſuam verbis expromere mentem.
Et quia fœdus erat recturas eſſe viciſsim
Romuleas partim gentes, partimq. Sabinas,
Hinc pius ille heros poſt vltima fata Quirini;
Eſt Pompone ſatus Romana ad ſceptra vocatus.
Cognita cum virtus tam iuſti principis eſſet,
Illius & cunctas volitaret fama per oras,
Romulidæ regem ſtatuunt hunc eſſe creandum:
Cui pia dum ſceptra in ſolio tribuuntur acerno,
Fatidicus ſilici altæ inſiſtit, & imminet augur,
Qui lituum dextra pro maieſtate ferebat:
Hymniſonos tacito diffundens murmure cantus,
Proſpicit immenſas Eoi litoris oras,
Necnon ad ſolis vertit ſe regna cadentis,

Et ſimul ad terras Arctōa in parte iacentes;
Ad Calabrumq. Auſtrum. his factis ex ordine ſignis
Tranſtulit in læuam lituum, iuſtiq. repentè
Pompilij imponens celſo ſub vertice dextram,
Lumina & extollens, tali ſermone precatur:
Iuppiter alte Numam cretum de ſtirpe Sabina,
Noſtra ſuper cuius nitido ſtat vertice palma,
Hunc iubeas rerum dominum, regemq. creari,
Hæc tua ceu nobis omnino ſigna pateſcunt,
Inter eos certo ſtatui quos limite fines.
Hæc dans dicta, grauem gemmis, auroq. coronam
Imponebat ei: qua culmen nobile frontis
Emicat: vt celſo axe poli Thitonia coniux,
Quæ radios, crineſq. ſuos miro ordine pandit,
Punicea emittens varios per colla colores:
Sic Numa conſpectu, & gemmata fronte nitebat.
Talia dulciſono vates tunc ſubdidit ore:
O decus Italiæ, ac gentis lux ampla Sabinæ,
Sarcina tantà tuis humeris imponitur vrbis,
Feliciſq. datur ſuprema potentia Romæ.
Conticuit tandem, has vbi fudit ad æthera voces.
Dum Numa rex ergò eſt radianti ſtemmate cinctus;
Romanæ genti fuerint quæ gaudia, turbo
Igneus ille infert, cunctis de turribus altis
Quem ſuccedenti iaculantur nocte Quirites:
Qui varios mira cum laude egere triumphos,
Ac pompas, auguſta dum grauitate per vrbem
Rex pius incedit, trabea ſuccinctus, & auro;
Dextera dumq. potens ſceptrum ſublime premebat.
Quæ vaga pertentant populorum gaudia mentes?

Et

Et qua voce Numam regem, & qua laude ſalutant?
Omnia quàm celebri complentur compita plauſu?
Tali lætitia geſtit gens omnis, vt alto
Pro rege haud hominem, at videatur numen habere.
Aſt, ò ſors hominum inſtabilis, vitæq. caducæ
Conditio, humanæq. vices, quæ turbine ſæuo
Lætitiam, faſtumq. vagum ſubuertitis omnem.
Sæpe viros etenim ſuprema in parte locatos,
Qui ſunt orbis honor, ſanctorum ac regula morum,
Vis fera Parcarum ante diem ſubuertere tentat;
Nec non ſæpe viam magnarum claudere rerum,
Atque repentinis faſtus, ac vota procellis
Spargere, dum viuit, totò hic gratiſsimus orbi.
Principis efficitur tanti iactura repentè;
Cuius & octauum trepidauit claudere luſtrum
Ætas, immortale decus, nomenq. relinquens:
Sed iactura, obituq. ſuo ſecum omnia vertit.
Eius non ſolum ægra trahebant pectora nati,
Quòd ſe tanti inopes proſpectent eſſe parentis,
Quin etiam ciues cuncti, qui funera iuſta
Non ſinè roranti ducunt per mœnia fletu.
Quid tunc illa facit tanto concuſſa dolore
Nobilis Ægeria, ex qua oracula ſæpe fluebant?
Cum ſit dilecti tædis viduata mariti,
Valles, atque propinqua vlulatibus antra replebat:
Et decus abijciens, faſtuſq. oblita vetuſtos
Turbabat ſæuo gemitu, queſtuq. ſerenum
Aera, perq. nemus miſerando hæc ore ferebat:
Heu quis me excipiet deiectam coniuge tanto?
Tã ſubitò omne bonũ rapuit mihi quæ aſpera Parca?

O Nu-

O Numa celſe tuum reſonans facta inclyta nomen
Approbat: inſtar enim generoſi numinis omnes
Te coluere viri; ſemper dum vita manebat.
Summo Romulidum imperio, regnoq. fuiſti
Tam cælebri princeps ſolùm vel nomine dignus,
Ordine quòd miro leges, & iura tuliſti:
Hinc dixere Numam græco te nomine gentes.
Tu nulli dicendus eras virtute ſecundus,
Qui tot facta illis merito exæquanda gerebas,
Quæ gerit in cæli ſuprema Iuppiter arce.
Nam ſunt te ducente erecta polo ardua templa;
Ciuibus vt pietatis amor, cultuſq. vigeret:
Veſtaliq. Deæ poſuiſti nobile templum,
Virginibus mandans niueum ſeruare pudorem.
Heu dolor occubuere nigro tua pectora læto:
Illud & os doctum, ſacra quod reſponſa ferebat,
Et pia iura dabat, nunc heu palletque, ſiletq.
Sydereæq. faces oculorum, quæ alta ſolebant
Scrutari quæcumq. volumina nocte, dieq.
Nunc heu ſunt nimis obſcura caligine merſæ,
Perpetuò ac ſomno clauſæ, frontiſq. ſerenæ
Spendidus ille tuus color, ingenijq. ſupremi
Ingens ille nitor iam funere uernat acerbo.
Ergo quis duplici haud fundet de lumine fontes,
Nec mœrore cadet, flebitq. ingentia damna;
Cuius ab ingenio fluxere tot ardua facta;
Vt pietate ſacra tibi cedat iurè Meliſſus:
Inclyte cum fueris longè ò Numa ſanctior illo,
Splendidiora ferens cunctis tua nomina luſtris:
Cuius relligio miti cum pace refulgens,

Conſpicuo auxit honore magis ſurgentia Romæ
Mœnia, quàm quòd atrox bellando Romulus egit.
Celſa etenim quando regnum ditione tenebas,
Admiranda quidem rerum portenta fuere,
Signaq. viſa etiam, totum non ante per orbem
Cognita: namq. dies inſueta luce coruſcans
Se ſe nulla vnquam rutilantior extulit ortu:
Et mille eſt viſum radiare coloribus omne
Cælum: formoſo complectens lumine terras
Et iubar inſolito Titan de more ferebat:
Et breuis ex alto eſt clypeus delapſus olympo
In ſublime forum, populo ſpectante Quiritum:
In quo nobilium rerum cælata patebant
Signa, graueſq. ducum formæ, regumq. trophæa.
Hocq. erat inciſum diffuſo carmen in auro:
Dum Numa regnabit, dumq. hoc ancyle manebit,
Vrbs erit imperio Romana potentior omni,
Vndiq. & optatæ florebunt pacis honores.
Quod non augurio populos deluſit inani:
Illos ſemper enim tanta cum pace regebas,
Vt tibi nemo ideò dira arma mouere ſit auſus:
Tu dilecte mihi præſtanti pectore coniux,
Lapſum ancyle polo noſcens, diuinaq. dona,
Venturis vnquam ne fortè aboleſceret annis;
Sed tanti vt ſemper fulgeret gratia facti,
Marti exultantes Salios tunc rite dicaſti;
Qui geſtare ſolent ancylia picta per Vrbem
Mamurij multo conflata labore magiſtri.
Ipſa quid infelix refero cariſſime coniux
Ingenium ſublime tuum; vt dolor acrior inſit
Oſſibus

Oſſibus, & nullo fiat placabilis æuo?
Tu Phœbi ſtudium, cultumq. decuſq. Mineruæ,
Et ſophiæ quantùm celſas euexeris artes,
Argumenta quidem mundo non parua dediſti.
Hoc nemus vmbriferum eſſe poteſt per ſęcula teſtis,
A te quod Phœbo eſt olim, Muſiſq. dicatum:
Teſtes ò fontes, ò vos virgulta poteſtis
Eſſe mihi; voſq. omnes Syluaniq. Napææque,
Et myrti, lauriq. vagi, eſt quibus vndiq. ſeptus
Lucus, per cuius medium fœcundus amœnis
Fons late diſcurrit aquis, ac lenibus vndis:
Riuulus omnis vbi pulchros producere piſces,
Ima & habere ſolet teretes in parte lapillos,
Quos nati perſæpe mei ad celſum aëra torquent,
Fundam agitant circum capitis dum culmē habena.
Hoc Numa celſe nemus voluiſti offerre Camœnis,
Atq. illis arbuſta virentia ritè dicare,
Ocia tot referens cunctis Heliconis alumnis:
Pieridum ſacer vt cœtus, Driadumq. caterua
An tibi docte Numa, an Phœbo plus debeat almo,
Euoluat, dubiaſq. tenet ſententia mentes.
Hinc vates, redimita quibus ſunt tempora lauro,
Iurè ſuum patrem, & numen te ex ordine dicunt.
Quam bene de ſophia es meritus, cultuq. poëſis,
Cernant, atq. tibi vates ſua carmina reddant,
Et calathos florum ſpargant, ac ſerta roſarum;
Et tibi in Elyſio aſſurgant rex inclyte campo.
Sublimi ingenio quæ errarunt tempora dudum
Ordine mens miro in melius tua docta redegit,
Non ſinè iure duos addens in quolibet anno

Menſes; vt certum ſeruarent cuncta tenorem;
Tempora, ſeu poſſent rectos aſſumere curſus,
Atque anni ſoliſq. acceſſus, atque receſſus
Sic tua diſpoſuit virtus, his menſibus auctis,
Vt Phaëtontis equi infrænes non amplius errent;
Sed per te ad ſeriem videantur, iterq. redacti,
Temporis vt certo ſtatuiſti limite mundum;
Et quæ viſa prius diſcrimina cuncta quieſcunt.
A te magna Ceres quoque Rubigalia ſumpſit;
Omne vt fertilius, longèq, feracius eſſet,
Aruum nec rubigo bonas euerteret herbas,
Ex illiſq. procul tempeſtas omnis abeſſet,
Quive nocent imbres Cereri, ventiq. furentes,
Magna quidem refero; at maiora inuenta relinquo,
Quæ prohibet narrare meo dolor improbus ori:
Sic tandem illa ſuis iterans miſerabile carmen,
Vocibus acta Numæ reſonare dat omnia circùm.
Ceu ſolet albus olor, mortis venientibus horis,
Plangere dulciſono ripas clamore propinquas
Complens: nec victu robur, vireſq. reſumit;
Sed defeſſa malis tantùm ſua pectora paſcit,
Eſtque illi tantum flendi ſitis, atque cupido.
Mœſtaq. per denſas graditur dum fæmina ſyluas;
Coniugis in mille incidit pia nomina plantis,
Corticibuſque orni inſeruit mœſtiſsima verba.
Quas ſua deinde notas gratiſsima dextera fecit,
Cernens fundebat gemino de lumine flumen;
Et gemitum tali ſociabat murmure vocis:
In vobis arbuſta meum ſeruate dolorem:
Nam ſi contigerit ſeu aliquo poſt tempore fiet,
Quis-

Quiſquam fidus amans veſtras vt currat ad vmbras
Illius attingat pietatis pectora feruor,
Mœroris caſuſq. velit miſereſcere noſtri.
Forſan erit, ſi cœlum audit feruentia vota,
Quòd frondoſa petent interdum hæc culmina greſſu
Hi quos nulla mei pietas, & cura remordet;
Sed miſeris inciſa notis arbuſta videntes,
Tunc mihi concedent aliquos pro munere fletus;
Aut ſaltem è mœſto ducent ſuſpiria corde.
Talia cum ſurdis loquitur pia fæmina plantis,
Heu miſera irarum tantis dum fluctuat vndis,
Atque genæ vt lacrymis,&lumen vtrumq. redundãt,
In lymphã ecce repente tremẽtia membra liqueſcũt
Inque ſalebroſum triſti cum murmure fontem.
Non oblita priora viri conſortia; ſæpe
Illius ægra Numam referebant murmura, & ipſi
Vortice ſæpe Numam latices creſcente ſonabant:
Et querulas adeò præbebant vndiq. lymphas,
Vt,ſi illac feſſus tranſiret calle viator,
Mitteret, & lacrymas ſubito mœrore coactus.
Pompilij ergo ſoluto tali funere Regis,
Permittunt Tullum ſortiri regna Quirites:
Qui fuit, vt ſubitò Romana ſede potitus,
Quam dudum ſub corde tulit, non immemor iræ,
Horrendæ,nec adhuc oblitus cædis auitæ,
Tunc veniſſe putat tempus, quo laxet habenas
Vindictæ,ac morientis aui vltima iuſſa faceſſat;
Contrà acies omnes, populoſq. relicta Sabinos.
Scilicet Eumenides toruo dum lumine cernunt
Illorum celebres extolli ad ſidera laudes;

 Inten-

Intentoſq. vident omnes ad Palladis artes;
Vtraq. mordentes rabido ſibi labra dolore,
Hortantur, crudi ſpirantq. in pectora Tulli
Sæuum pugnandi tali cum gente furorem,
Tempore qui multo rigidas exercuit iras
Atque tulit longæua odia in genus omne Sabinum,
Dilectum quòd auum miſeranda cæde necarit.
Hæc modò Muſa mihi referas, mentiq. reducas;
Vt potis armorum cunctas comprendere formas
Sim, tantoſq. æuum miſereſcat vt omne tumultus.
Hæ belli ſuberant cauſæ: quòd multa Quiritum
Dum gens illorum peruenit ad atria templi,
Culta vbi diues erat ſacro Feronia ritu,
Carcere ſit tetro clauſa, atque in vincla petita;
De quo conqueritur facto Romana iuuentus.
Tullus & Hoſtilius furijs agitatus iniquis,
Miſit ad hos plenas iriſque, miniſq. tabellas;
Aſpera in his pariter conuicia plurima miſcens.
Talia ſed fortes reſponſa dedere Sabini:
Vos prius ex noſtris aliquos tenuiſtis in vrbe
Correptos vinclis in luci carcere, & eſſet
Hos quamuis nobis prece ſæpe repoſcere curæ,
Veſtra tamen precibus licuit non flectere corda,
Et renuiſtis eos vllo dimittere pacto.
Et fuerit licet hæc iniuria maxima nobis,
Non alias inferre tamen deſiſtere vultis.
Forſan & à vobis iniuria nulla putatur,
Quæ fuit Andronio ex noſtris primoribus vni
Nuper ab ipſo illata Antiſtite præſide templi,
Eſt vbi imago Dianæ, ex cuius nomine fertur.

Namq.

Namq. illuc vaccam inſignem, qua pulchrior vnquã
Per nullas orbis terrarum apparuit oras,
Andronio ducente, pio de more litandam:
Fixit in hanc oculos veſter cum fortè ſacerdos,
Linque, ait, hoc animal, donec veſtigia tendas
Ad Tyberim: nam ſacra prius quàm victima fiat,
Debes abluere algenti te fluminis vnda:
Dumq. Sabinus abit, temeraria dextra doloſi
Eſt illud furtim mactare Antiſtitis auſa.
In vos ſi quidquam ergò iuuentus noſtra peregit,
Talibus illa fuit cauſis, & concita rebus.
Bellatoris vbi hæc Tulli labuntur ád aures,
Turgida corda fremunt. Iacto vt lapide horridus an-
Erigitur, mẽbriſq. infuſum immane venenum (guis
In rabidas fauces, & aperta reducit in ora:
Sic ille impatiens gentis reſponſa Sabinæ
Audire, exclamat præruptis vocibus arma,
Accenditq. furore animos, ſpiratq. loquendo
Gentibus ardorem, rabieq. tumentia vertit
Lumina, & argento conflata ſibi induit arma?
Ex omni cogit bellantes parte cateruas:
Illuc cogit eas, vbi auum ſtrauere Sabini:
Anxia corda ferens fatur ſic ore ſuperbo:
Gens ne igitur, pòpuluſq. ferox, & barbara proles
Quæ numquam fauces expleuit ſanguine, & auro,
Colla iugo premere audebit, frænoq. ligare?
Iam propè terdenos equidem quodcumq. per annos
Indignum tulimus, noſtro non abſq. pudore,
Cum maculare ſuas noſtro ſint ſanguine palmas
Auſi iam pridem: quandò crudeliter Hoſtum

Caſsis, ad æthereas haſtam ingentem extulit auras.
Quod cernens acer Demetrius, ocyor Euro
Currit, equo ante alios omnes eueṫus atroci,
Ac tereti fuluum vagina diripit enſem;
Qui fulgore micat, veluti ſub culmine cæli
Scintillare ſolent horrendo crine cometæ,
Qui mala portendunt, morboſq. aut funera regum.
Et licet inferior numero pars afforet vna:
Ambæ acuere tamen firmo cum robore Martem.
Surgebant etenim ſtrepitus, gladijq. micabant
Haud fauſto ſplendore; velut cum Iuppiter orbi
Fulmina demittit, vibratq. tonitrua ab alta
Arce poli, replens cunctorum corda pauore,
Nec non obſcura cingens caligine terras:
Dum calor, & frigus ſeſe inter cedere nolunt.
Tela igitur, gladioſq. pari ſic Marte cientes
Mox ſuperaduenieus tenebris nox fuſa diremit;
Incertumq. manet: quis ibi victricibus eſſet
Frondibus illuſtris palmæ, ſpolijſq. potitus.
Poſtera Phœbææ vt veniunt ſolatia lucis,
Mortua multa vident per apertum corpora campũ;
Sauciaq. ora virum, qui extremas dentibus auras
Carpunt, fundentes raucum de pectore murmur.
Amplius haud placuit tentare pericula pugnæ
Alterius; verum vallo exceſſere relicto
Tantiſper voluere ferumq. remittere bellum,
Altera quouſque vagans Phœbi rota torqueat annũ.
Aſt alios alij tandem inuaſere, paratis
Viribus, ac turmis multo maioribus actis.
Ac propè Cruſtumerum celſo cinctum aggere caſtrũ

Enſibus

Enſibus, atq. haſtis rigidum certamen initur,
In quo non paruæ cecidere vtrinque cateruæ.
Dumque duci Tullus conatur obeſſe Sabino,
Nixu acriq. furore miſer Demetrius obſtat,
Qui femur illius ferro percuſſit acuto,
Senſit vbi ex manibus venientem fortibus ictum,
Pectore ſe toto Tullus conuertit in illum;
Fulminei & tollens gladij inſuperabile acumen,
Oppoſitum fregit clypeum, & galeæ, attigit oras:
Attamen haud illi potuit dare ſigna cruoris:
Namq. humero capitis culmen ſublime repreſſit,
Atq. aſtu ſubijt, Tulloq. repente ſuperbo
Viribus egregijs eſt reſpondere paratus.
Fortiter ille enſe Hoſtili fert ſe obuius enſi,
Quem ſtudio, curaq. omni peruertere tentat,
Mille modos præbens, atq. artes mille nocendi;
Et mille huc illuc gyros, & conficit orbes
Vectus equo, quem contra armatos incitat hoſtes
Calcibus æriſonis; membra vt contundat eorum.
Iamq. graui cum eſſet percuſſus vulnere Tullus,
Illi ingens rabies halanti miſta pudori
Viſcera corrodit, tetro ceu ſparſa veneno.
Tunc in ſe verſos Demetrius aſpicit omnes:
Nec vili tantum plebi, vulgoq. reſiſtit,
Quin ducibus magnis etiam, atq. heroibus altis,
Quorum non paucos proſtrauit acumine ferri.
Marte ſub ancipiti dudum pugnantibus ipſis,
Bellica ſe Tullus retulit ſub caſtra cruentus;
Curaret rorans viuaci vt ſanguine vulnus:
Acribus inſultanſq. iris, hæc ore ferebat:

Si quis Demetrio inuiſum caput auferat enſe,
Munere non paruò à Tullo donatus abibit,
Et mihi dulcis erit mors; ſi ipſum occumbere cernã;
Hec tantùm mihi præ cunctis vindicta placebit.
Syluius his ſe offert dictis; ſis Tulle ſerena
Fronte precor, mœſtumq. tuum depone dolorem:
Nam ducis infandi ipſe caput furiale videbis
Ante tuos miſerè vulſum procumbere greſſus.
Hunc ego non dubito miſerando abſumere letho:
Nil peto deinde, niſi vt Romana detur in vrbe
Carmine cum tali ſuſtollere poſſe trophęum.
Sylùius iſta duci bello abſtulit arma Sabino:
Ad quem Tullus ait, quæcumque vir ardue poſcis,
Ampla cum mercede tibi ſum ſponte daturus,
Nec tantum facinus celebri ſine honore relinquam;
Poſtea ſuſtollens geminas ad ſydera Tullus
Palmas: vota ferens leni hæc eſt ore ſecutus:
Sacri ò Cælicolæ deuicto ex hoſte triumphos
Continget quacumque mihi ſub luce referre,
Regali in tecto cum amplis conuiuia ludis,
Laudesq. inſtituam veſtras celebrare quotannis;
Et geminos Rhea, & Saturne tibi inclyte tauros
Ad ſacra mactabo ſolemni altaria ritu,
Communi ſumptu populi, & ſacri ære ſenatus:
Et numerum duplicem ſum offerre paratus eorum,
Qui Saliorum inter collegia viuere gaudent.
Hæc vbi cum precibus blandis luſtralia prompſit
Vota, coronato haud tenuis fiducia Tullo,
Romulidiſq. fuit, valido qui corde vigentes
Denſas diffundunt acies hinc inde Sabinas;

Quæ non Romulidum tantum vi, aſt turbine magno
Auſtri, quod vexabat earum lumina tetro
Puluere, ſunt extemplò vertere terga coactæ:
An tentare fugam ad vallum: quas enſe minaci
Diffuſas acies ſequitur Romana iuuentus.
Multi in valle Sabini ergò in fera vincla petuntur;
Solus at horriſonis Demetrius hoſtibus obſtat,
Robore & egregio, & mira virtute reſiſtit.
Tales qui ad ſocios flammato pectore voces
Protulit: ò bello fortiſsima ſemper in omni
Corda Sabinorum, nullo terrenda labore,
Quæ tam longinqua vrbs noſtris regionibus olim,
Et quæ tam regio fuit, atque recondita tellus,
Cui non ingenti virtute reſiſtere ſemper
Noſtra ſit omnigenò in certamine viſa propago?
Et vos ò ſocij quæ non generoſa fuiſtis
Moliti facta, ac meditata pericula paſsi?
Quisve timor belli, aut mortis vos terruit vnquam?
Triſte quid hoc autem permittit tempore fatum,
Sidus & infelix, vt taliter ipſe relinquar?
Hæc vbi dicta dedit: diffuſum congregat agmen.
Intereà crines immerſit in æquora Titan,
Atque ſuam lucem diffundere deſtitit orbi.
Non ideò vlterius potuit procedere pugna:
Et veniente die, roſeus dum Lucifer arua
Irrorat cuncta, èq. poli penetralibus altis
Auroræ currus conſperſus floribus exit,
Cum capta Tullus tunc gente reduxit ad Vrbem
Turmas, compoſitoq. velut certamine belli,
Et rerum faſtu geſtarum elatus inani,

Ven-

Vendicat inſignem viridi ſibi fronde triumphum.
Sed neque poſt longum tempus miſere Sabini
Legatos placida redimitos fronde Mineruæ,
Vt cunctas illo prædas ex Rege repoſcant,
Quas nuper Romanæ acies rapuere colonis.
Quarè quod ſtatuit pretium, mulctamq. ſenatus
Exigit, auriq. haud modico ſuccenſus amore
Omnia reſtituit Tullus: quo bella Sabini
Pacto vt ſoluerunt, optabile fœdus initur.
Aſt vbi Romulidis bellum ſuperincidit atrox,
Ob male vexatas rigidis prædonibus vrbes,
Hoc illi veniſſe putant optabile tempus,
Quo plura æra ſibi multo, redeantq. talenta,
Quàm quæ iam nuper Tullo ſoluere coacti.
Mente animoq. agitant contrà ardua mœnia Romæ
Irruere ex omni cogentes parte cateruas:
Sed varios rerum caſus inſtare videntes,
Vt ſocientur habent cum Albano verba ſenatu.
Attamen has gentes ſocias ſibi ſumere, numquam
Ob rigidi voluit ſubeunda pericula Martis
Tullus: at illorum conſulta vbi talia nouit,
Vtile compoſuit fœdus cum gente Latina;
Vt rurſus bello poſſet vexare Sabinos.
Quarè armat duplici maiores milite turmas;
Quàm prius: Albanos etenim ad ſe conuocat omnes:
Quanta ſimul potuit munimina cogere curat,
Auxiliumq. vocat, quæritq. ex omnibus oris.
Iam verò acre Sabinorum defecerat agmen;
Cœperat ac populus multis rareſcere cauſis.
Rex generoſus enim Tatius, poſt iuncta Quirino

Fe-

Terga, vt dum quatiuntur atroci tecta domorum
Grandine, perq. virentem herbā moribunda cadebāt
Corpora: fulmineo Balbinius enſe Danippum,
Argophilumq. necat, Theodorumq. acer Eraldus.
Attamen ille potens Demetrius agminis auctor
Eſſe videbatur ſcopulo conſtantior omni,
Obſtabatq. velut glacialibus imbribus Alpes:
Qui ſe Tybrilio obijciens crudeliter, olli
Cum galea in geminas partes caput enſe recidit;
Quod pendens humeris ſpectacula dira ferebat.
Syluius intereà, cui ſæua audacia feruet,
Cum peditum nymbo caſtris veniebat ab altis.
Ipſe ducem conſpexit vbi acri luce Sabinum;
Illudens dictis ferro illum inuadere cœpit;
Cuius ſublimis virtus non pertulit ictum,
Reſtituenſq. illum, irato hæc ſuperaddidit ore:
Cur ita præcipitas noſtro periture ſub enſe;
Atque tuas audes vltra ſic perfide vires?
Hæc dicens, velut a duris Cyclopibus Ætnæ
Malleus erigitur, rutila hi dum fulmina condunt,
Sic librans gladium, rabido non abſq. furore,
Sūma ex parte humeros vſq. ad vaga cingula fregit,
Illius ac triſtis vitæ, ſeu ſanguinis atri
Largas enſe vias abeundi à corpore fecit.
At ſuperaduenit dorſo prouectus equino
Inſignis bello Tullus, manus ardua cuius
In feriendo ibat rapido velocior Euro.
Inter ſe ferro decernere conſpicis ambos.
Cardine vt ex alto contraria flamina venti
Conſpirant, minimèq. inter ſe cedere poſſunt,

Con-

Contrà aliquem, ni forte inſurgat turbidus imber:
Sic etiam ni aliquis langueſcat ſanguinis imbre,
Ex iſtis nemo palmam conceſſerit vltrò.
Alternis igitur plagis dum membra fatigant,
Tunc,heu,quàm ſpatioſa ferox facit oſtia ferrum
Lorica in dura,galeaq. & pectore in imo,
Libratus quocumque atrociter incidat ictus.
Tandem Tullus equi obſeruans ex ordine curſum,
In tergum,quo vectus erat Demetrius acer,
Tam valido vibrauit acutum robore ferrum,
Vulnere vt extemplò ſonipes defecerit atro;
Cuius præcipiti ſoluuntur ephippia lapſu;
In terramq. cadens crus læua ex parte Sabini
Implicuit ducis hic ſubſidens poplite tantùm,
Vix propriam ad vitam potuit ſe efferre tuendam;
Defeſſa vt ratione magiſter in horrida ſaxa,
In ſcopulosq. ruit,nec iam conſueta tuetur
Aſtra magis;rigidis victam ſed caſibus artem
Deijcit, ac tantum fortunæ linquit habenas.
At ſe defendens quatijt ſub cruribus hoſtem.
Tunc Tullus rabie furibunda concitus inquit,
Auertant ſuperi ne hodiè proficiſcar inultus:
Sanguine nam fortaſſe tuo placabitur ingens
Vmbra mei patrui,cui duris ictibus olim
Ille tuus Tatius vitales abſtulit auras.
Hæc dicens illi gladium ſub pectore condit:
Et nitidam celſo galeam de vertice ſumens,
Sanguine Demetrij tepido crudeliter implet,
Extollens manibuſq. feris,ait,ecce cruorem
Cuius,Demetri,tibi tanta cupido,ſitiſq; eſt,

Vt fuit hæc etiam Hoſto cuius verba recordor
Vltima; te ardenti nunc ergo cupidine poſco
Huc huc ò patrue, Elyſij, vt reor incola campi,
Huc dilecte inquam Hoſte veni, bibitoq. cruorem,
Quem mea dextra tuis offert, atq. immolat vmbris.
Nec dux langueſcit moriens Demetrius acer;
Verùm terriſona Romanis voce minatur:
Extremiq. ſoni linguæ, motuſq. ſupremi
Terrorem, rabidoſq. gerunt feritatis hiatus:
Cui caput abſcindens alter confixit in haſta.
Dein Romanos equos calcaribus ordo fatigans,
Sic ferit, vt cunctos deturpet ſanguine campos;
Nec ſinè crudeli diſpergat ſtrage Sabinos;
Victorem Tullus ſed ſe licet eſſe putaret,
Attamen haud lætam retulit victoria palmam:
Dant graue ſupplicium haud ſoli atra cæde Sabini,
Sed quoque Romulidum turmæ, hoſtileſq. Phalanges.
Nam vel quiſq. virum fortiſsimus ardua certè
Eſt nixus facere; vt vitam defenderet, atque
Turbine ne rapido armorum concuſſus obiret.
Plurima viſendi & ſpoliandi ardore repente
Proceſſere ſuis hinc, atque inde agmina caſtris;
Vt manibus voluant inimica cadauera, quorum
Non paruus paſsim per humum ſurgebat aceruus.
Mortua Romulidæ ſpoliant dum corpora ferro,
Dumq. trahunt inopes aliqui de vulnere tela,
Altaq. diripiunt tentoria, & vndiq. luſtrant,
Illa inter ſtratos ferro inuenere ſodales,
Cognatoſq. alij, aut caros quos enſis amicos
Abſtulit, & Mauros imas demiſit ad vmbras
Sic variè & funus, luctumq. & gaudia in omni

Tunc poteras campo inter vtraſq. videre çateruas.
Et Chirieclidus vitæ integritate ſacerdos
Clarus, & omne Sabinorum inter ſanctior agmen,
Vota,preceſq, Ioui inter vbi tentoria fundit,
Vlterius certamen atrox ne tenderet, atque vt
Iuppiter à miſeris diuerteret arma Sabinis,
(Ni nobis mentita refert antiqua vetuſtas)
Syderea fertur vidiſſe in nube Tonantem,
Regali in ſolio,flammis, radijſq. coruſcum;
Qui cum ſponte oculos ad atrocia verteret arma,
Proſpiceretq. pios vexari impunè Sabinos
Huius ab infeſto toties liuore tyranni,
Irim, qnæ pluuiæ ferre,inſtantiſq. procellæ
Signa ſolet,tali alloquitur ſermone nitentem.
Cum tam ſæua inſit furibundo audacia Tullo,
Ac tumor, vt turbare velit grata ocia mundi;
Atque mihi caras tentet reſcindere gentes,
Supplicijs commiſſa luat iam perfidus hoſtis.
I celer, infernoſq. lares pete; vt horrida monſtra
Tartareæ turmæ peſtem per mœnia fundant
Vrbis,& abſumant Tulli atra peſte phalanges.
Vix hæc Elycius prompſit,cum nuncia ſolers
Nobilis aligeri aſpectum ſub imagine formans,
Poplite demiſſo procumberet ante Tonantem:
Nec remorata,leues per olympi ſydera pennas
Explicat,atque volat, qualis vibrata lacertis
Haſta ſolet, mentiſq: humanæ, aut fulminis ictus;
Atque Arethuſæ etiam curſum præcellit eundo.
Antra petens,penetranſq. recondita viſcera terræ,
Tranſit per denſas vmbras, imaſq. cauernas;
Marmoreas ſuperat rupes, atq.ardua monſtra,

Quæ gremio intercluſa ſuo tenet humida tellus;
Sulphureoſq. lacus vmbroſa per atria tranat:
Nigras ante fores, atque ante voracis Auerni
Limen mille videt ſeptenis oribus Hydras,
Milleq. ſerpentum facies, & mille ferarum
Formas, viperea paſcentes tabe catellos:
Seq. librans croceis valuæ prope limina pennis,
Tunc ait: en vobis refero mandata Tonantis;
Triſtis, vt Eumenidum mater tetro exeat Orco,
Infectetq. Vrbem, putriq. vapore refundat,
Hæc ſimul ac dedit ore, via indè refertur eadem.
Quæ Chirieclido non fruſtrà in nubibus altis
Viſa fuere: breui ſiquidem poſt tempore in Vrbe
Aër contraxit ſtygiæ contagia peſtis.
Romulidum ac denſas corrupit peſtifer auras
Auſter non paucos adimenſque, metenſq. Quirites.
Sed morbo Tullus, peſtiq. reſiſtere curat,
Conaturq. luem truculentam euadere rebus,
Pharmacopola ſagax magica quas egerat arte:
Atque ſuam ſeruare magorum carmine vitam.
Secreta inquirens, ſed cœlo hæc Iuppiter alto
(Vt fertur) ſpeculans: faciam ne perfide dixit,
Vlterius tendas odijs, populoſq. laceſſas.
Hæc dicente poli tepidas crepuere per auras
Commiſti tonitrus denſa cum grandine, & ecce
Fulmina contorquet miſer in tua viſcera Tulle
Iuppiter, exuritq. alti penetralia tecti.
Sic cadis infelix ſine laude, tuiq. furoris
A validis vindicta Sabinis cernitur, i nunc
Fide opibus magicis, cæliq. reſiſte furori;
Et mihi dilectas nunc perge affligere gentes.

A magnis poſtquam tenuis me cymba reduxit
Fluctibus,& ſtrepitus pugnæ Martiſq. tumultus
Ceſſarunt: edoctus apes imitabor agreſtes
Quæ licet interdum certamina feruida verſent,
Pugna proterua tamen poſtquam compreſſa quieuit,
Extemplò quærunt halantes floribus hortos;
Cœleſtem vt valeant ſtillanti è ceſpite rorem
Colligere, atque replere ſalubri nectare ſedes.
Ad quos mellifluos igitur veſtigia vertam?
Flores? an meliore queam hos reperire ſub horto,
Quàm tua,fas ſi Odoarde mihi, intra inſignia,quorũ
Lilia me halanti inuitare videntur odore,
Et mea felici auſpicio ad ſe pectora raptant.
Quæ cum ſint cœleſtia; cœleſtem abdere mannam
Conſtat, & in folijs diuinum nectar habere.
Hæc igitur quæcumque tuli de gente Sabina
Carmina,non modico patriæ ſuccenſus amore,
Accipe, nec tenues, Princeps pie,deſpice cantus.
Heroum ſoboles,Romanæ gloria gentis,
Italiæq. decus dulci modulamine vatum
Suetus,quem tangit populorum ſedula cura,
Quem pia relligio,& pietas, & gloria ſacri
Cultus, atque Aſtræa pijs cum legibus ornat:
Ac tua cum pateat cunctis clementia terris,
Hos populos propria tanquam in ditione Sabinos
Protege; cum tanti dederint exemp la decoris;
Qui pro Romulidum imperio, ſanctæq. ſalute
Sedis,dum tempus, rerumq. expoſtu lat vſus,
Semper ſponte ſolent arma auxiliaria ferre.
Quin Odoarde tibi,ſi res expoſceret: vltro
Donarent propriam hi populi cum ſanguine vitam.

INDEX
Rerum quæ his quatuor libris continentur.

A Egeriæ lamentum. 128. Et in fontẽ transformatio. 133
Amoris coniugalis mirum exemplum. 124. 125
Apollinis oraculi reſponſum. 16
Appius Herdonius miles Sabinorum acerrimus. 76
Apparatus conuiuij. 113. 114
Archontis conſtantia. 107
Arietis tormenti bellici deſcriptio. 92
Aruſpicum conſuetudo in augurando ſeruata. 23
Aſtutia Romuli in alliciendis puellis ad veniendum ad Vrbem. 51. 52
Aſtutia ſeu ſtratagemma Romanorum. 204
Augurium & vaticinium Ro. Imperij. 24. 42
Augurium & vaticinium de Sabinorum factis & oppidis. 24
Augurium raptus. 53. 54
Augurium & vaticinium contra Romulum. 71
Bellum Sabinorum in Romulum. 75
Bellum Tulli Hoſtilij in Sabinos. 136
Cantilena de pace. 115
Concilium Romuli de connubijs contrahendis. 40. 42
Conſolatio Romuli ad raptas Virgines. 67
Conſualia erant ludi equeſtres Neptuno dicati. 50
Creſcentiorum Illuſtriſs. Familiæ originis vaticinium. 29
Cures olim Sabinorum metropolis, & earundem Curium fundator. 24. 25
Cures vnde dicantur. 24
Curtius lacus vnde dictus. 105
Demetrij Sabinorum ducis virtus. 140

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Digreſsio ad Sanctiſs. D, Clementem VIII. Pont. Opt. M. 40
Encomium Odoardi Farneſij Card. Ampliſs. 148
Epiſtola a Sabo ſcripta. 32
Exprobratio Curtij Metij ducis in Romuli milites. 100
Exprobratio Palis Nimphæ in Romulum. 70
Fœdus inter Rom. & Sabinos; & mos ſanciendi illud. 111
Fortitudo L. Lucumonis Hetruſci Vrbis Lucæ fundatoris. 98
Fortitudo Sabinorum. 140
Herſiliæ vxoris Romuli *magnanimitas.* 59
Herſiliæ ſupplicatio ad Romulum. 62
Herſiliæ ſupplicatio ad T. Tatium. 108
Hetruſcorum laus. 99
Hortatio Demetrij ducis ad milites. 140
Hortatio T. Tatij regis ad milites 86
Hortatio Tulli Hoſtilij ad milites. 135
Hortatio Romuli *ad milites.* 103
Hoſti Hoſtilij Romanæ *aciei ducis laus.* 95. 102
Hoſti Hoſtilij in moriendo virilitas. 96
Impoſitio nominum tribubus a Romulo *inſtitutis.* 126
Imploratio Romuli *erga Iouem.* 102
Inſignia Sabinorum notas habebant. S. P. Q. R. *ideſt, Sabinis Pop. Quis Reſiſtet.* 77. & 118
Iouis Statoris templum a Romulo *in palatij radice erectũ.* 102
Lampon augur Sabinorum oppida prædicens. 23. 24
Lamentum Philandri. 64
Lamentum mulierum Sabinarum. 108
Laudes Pacis. 115. 116
Laus Romæ. 39. 42
Lycurgi Lacedemoniorum Regis *lex.* 13
L. Lucumonis Hetruſci Romanorum *militum præfecti fortitudo.* 98. Interfuiſſe huic bello Lucumonem, docet

Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Roman. antiq.
Magicæ artis vires. 83. 147
Metij Curtij Sabinæ aciei ducis magnanimitas. 105
Mineruæ, & Neptuni altercatio. 115
Miraculum in filio Crœſi. 110
Mos Lacedemoniorum. 13.14
Mos veterum Romanorum *in ducendis vxoribus.* 61. 118
Mos Romanorum *in creandis regibus.* 116. 127
Mos ſaciendi fœdera. 111
Munera viciſſim data a Sabinis, & a Iano inter ſe. 31
Nomina Tribuum Romanarum. 121. 126
Numæ Pompilij Sabini Romanorum *regis creatio.* 126
Numæ Pompilij res geſtæ. 129
Oppidorum Sabinorum deſcriptio per vaticinium. 24. 29
Ophiaſi magnanimitas, & nex. 94
Oratio pathetica in Sabinos habita a Romanis. 46
Oratio pathetica T. Tatij regis, 74
Palilia erant feriæ xj. *Kal. Maij. Vrbis natali conſecratæ.* 83
Peſtilentia fuit Romæ *regnante Tulli Hoſtilio.* 147
Picenorum origo. 32
Portenta viſa in fundanda Vrbe. 45
R*aptus Sabinarum.* 57
R*omuli ſomnium.* 50
Sabiniades cur T. Tatius voluit appellari. 38
Sabinorum origo. 30. *& vnde dicti.* 12. 21
Sabinarũ pulchritudo. 56. 64. *earũdem magnanimitas.* 107
Sabinæ regionis laus. 32. 33
Sabellorum Illuſtriſs. Familiæ originis vaticinium. 29
Samnitum populorum origo. 32
Senectutis incommoda, & calamitates. 36
Strages maximæ. 91. 106. 107. 143

Syluæ deſcriptio. 69. 78
Talaſius cur nuptiarum deus ab antiquis dictus. 61
*Tarpeiæ proditio.*84.87. *eiuſdem temeritas.* 88
Titus Tatius Sabinorum rex Capitolium cepit. 87
Tormentorum bellicorum vis. 92. 93
*Tulli Hoſtilij immanitas.*144. *eiuſdem nex.* 147
Viſio Cbyrieclidi ſacerdotis. 146
Votum pro victoria Sabinorum de Vmbris reportata. 38

Errata Corrigenda.

pag.	54	verſ.	25	ſubebat	ſubibat
pag.	22	verſ.	14	patet	ſolent
pag.	21	verſ.	27	perfectos	profectos
pag.	18	verſ.	27	geneoſo	generoſo
pag.	26	verſ.	1	pluijs	pluuijs
pag.	28	verſ.	3	fieri	feri
pag.	28	verſ.	27	cinta	cincta
pag.	32	verſ.	1	dat	vult
pag.	32	verſ.	16	lictora	litora
pag.	72	verſ.	20	miniaq.	nimiaq.
pag.	79	verſ.	28	Tarpiæ	Tarpeij
pag.	99	verſ.	22	inſigna	inſigne
pag.	113	verſ.	15	conpicitur	conſpicitur
pag.	113	verſ.	17	odorata	odorato
pag.	115	verſ.	13	Phæacunq.	Phæacumq.
pag.	129	verſ.	15	læto	letho
pag.	140	verſ.	4	An	Ac

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE